



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY




DE NICANDRO
ALIISQUE POETIS GRAECIS
AB OVIDIO
IN METAMORPHOSIBUS CONSCRIBENDIS
ADHIBITIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITENBERGENSI CONSOCIATA
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

GUSTAVUS PLAEHN
LATZIGIENSIS.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).
MDCCCLXXXII.


HARVARD COLLEGE
DEC 22 1892
LIBRARY

GUSTAVO LUECK
IUDICII REGII BEROLINENSIS CONSILIARIO

LUDOVICO SCHULZE
GYMNASII SORAVIENSIS RECTORI

AVUNCULIS CARISSIMIS

HUNC LIBELLUM GRATI ANIMI TESTEM

DEDICAVIT

SCRIPTOR.

Ovidium magna in parte Metamorphoseon Nicandri Ἑτεροιούμενα secutum esse cum plurimis viris doctis qui hanc quaestionem tetigerunt, persuasum fuisse videatur, ut Merkelio (Prolusio ad Ibin, p. 374), Hauptio (Vorrede zu seiner Ausgabe, p. XI), Teuffelio (Roemische Literaturgeschichte, § 249, 1), O. Schneidero (Nicandrea, Lipsiae 1866; p. 44), R. Foerstero (Der Raub der Persephone, Stuttgart 1874, p. 84), Grevio (de Adonide, Lipsiae 1877, p. 8, A. 2), tamen post Mellmanni disputationem exilissimam (commentatio de causis et auctoribus narrationum de mutatis formis, Lipsiae 1786) nemo aut hanc sententiam in universum causis probare conatus est aut in singulis fabulis monstrare, quomodo discrepantiae satis magnae quae inter Ovidii et Nicandri narrationes intercedunt, ortae sint. Itaque non mirum est postquam iam Leutschius (Ersch und Grubers Encyclopädie, III, 8, p. 65) haud exiguam fortasse fabularum partem ex encheiridiis quibusdam mythologicis, qualia Antonini Liberalis μεταμορφώσεων συναγωγή et Hygini fabulae exstant, Ovidium sumpsisse existimavit, et ne de Nicandro quidem certi quid statuere voluit, recentissimis temporibus prorsus improbatam esse illam opinionem. Ac primus quidem C. Langius (De nexu inter C. Julii Hygini opera mythologica et fabularum qui nomen eius prae se fert librum, Bonnae 1865, p. 67) Ovidium transformationum libro a C. Julio Hygino grammatico conscripto potissimum usum esse judicat. E. Rohdius (Der griechische Roman und seine Vorläufer, Leipzig 1876, p. 127, A. 1) illis discrepantiis ductus Nicandrum ab Ovidio fortasse prorsus non adhibitum esse putat, cum etiam alii poetae satis multi Metamorphoses scripserint; eumque sequitur fere Surberus (Die Meleagersage, Zürich 1880, p. 12). Petersenus vero (Quaestiones Ovidianae, Kiliis 1877), postquam (p. 9) cum Langio „Ovidium in universum in Metamorphosibus componendis non tam fontes diversos in consilium adhibuisse et conjunxisse quam unum potissimum auctorem secutum esse“ statuit, causis

non allatis, hunc unum auctorem Parthenium esse credit (p. 38). Itaque in hanc rem accuratius inquirere et id potissimum agere institui, ut intellegam, utrum fabulas, quas communes habet cum Nicandro, ex illo ipso an aliunde sumpserit, et quibus de causis eas mutaverit. Hoc autem cognosci non potest nisi examinamus, quae ei ratio fuerit cum ceteris poetis Graecis.

Trist. II, 381—408 viginti sex tragoediae Graecae afferuntur, ut monstretur, quam saepe tragoedia materiam amoris habeat, neque causa est, cur non putemus, eas ipsas ab Ovidio esse lectas, si non integras, at certe aliqua ex parte, praesertim cum et ipse tragoediae componendae operam daret. Quodsi consideramus, non omnes eum enumerasse tragoedias quas potuerit, sed quarum ei forte in mentem venerit, porro plurimas extitisse tragoedias minine ignobiles, quae huc non pertinuerint, denique multas tragoedias Latinas in scena eum vidisse, quam largum fabularum penum solae tragoediae ei praebuerint apparet. Quae quoad in Metamorphosibus adhibitae sint iam videamus.

Clarissime tragoediae usus apparet in Hecubae fabula (XIII, 429—575). Postquam poeta Troiae interitum et Hecubae extremas in Hectoris tumulo querelas attulit, subito versu 429 ad Polydori fata narranda transit, et versu 439 rursus adventu classis Graecae in Thracio litore narrando pergit, ut hae narrationes plane non cohaerere videantur. Atqui nunquam mehercle sic de suo narraret Ovidius, qui summam ubique artem in eo collocat, ut continua neque ullo loco interrupta evadat narratio, sed ut in argumento Euripideae Hecubae factum est, Polydori mortem addidisset, cum corpus eius in litore inventum esse narrasset. At arte sequitur ipsam Euripidis tragoediam, et versibus quidem 429 – 448 easdem res atque eodem ordine narrat quas Euripidis prologus versibus 1—58 continet, sed brevius suoque colore poetico. Deinde commatica parodo, stasimo primo, sermonis inter Talthybium et Hecubam initio omissis et primo episodio in versus 449—452 coacto versibus 453—580 Talthybii narratio redditur. In qua tam arte sequitur tragoediam, ut eam ipsam praesto eum habuisse, non ex memoria aut ex epitome aliqua narrare pateat. Tamen discrepantiae apparent. Inserit orationi Polyxena querelas de matre sola relicta, quae apud Euripidem iam cantici versibus

197—215 continentur, et preces, ut corpus gratis matri reddatur. Populi et ipsius Neoptolemi dolorem minus digne versibus 474—476 describit, quam Euripides versibus 566—567 et 571—580. Neque enim ullo modo Ovidius moderationem adhibere potest in affectibus, vel ut Graecis terminis utar, optime πάθος, minime ἦθος describere scit, et ubique affectus quam vehementissime augere atque amplificare studet. Eadem ingenii proprietate ductus Ovidius postquam chori stasimon secundum et tertium obiter et ex memoria tantum versibus 481—487 reddidit, in querelis Hecubae describendis plane suus est neque quidquam ex Euripide mutuatur. Etenim apud Euripidem regina cum primum nuntium fortitudinis ingenuitatisque filiae morientis accepit, constanti animo consolatur, Ovidius ingenio indulgens mira sagacitate ut solet omnia indagat, quibus sors Hecubae quam infelicissima possit videri luctusque augeri. Atque eadem de causa mater corpus filiae coram amplectitur, porro se nihil nisi fletus et arenas habere queritur, quibus funera ornet. Age vero ad affectum augendum Ovidius Hecubam versu 530 vita et ope Polydori fisam continuo versu 536 ipsam corpus filii invenientem facit. Iam apud Euripidem conversio quae Graece dicitur περιπέτεια mentis Hecubae fit; neque tamen repente luctus et querelae desinunt, sed paulatim in iram et ulciscendi filii cupiditatem se convertunt. Contra apud Ovidium regina ubi primum filium mortuum conspexit, querimoniis missis „ulcisci statuit poenaeque in imagine tota est“ neque leviter furit. Tum neglectis ceteris poeta Euripidem sequens Polymestoris poenam breviter narrat, omissa tantum liberorum nece.

Ipsam denique mutationem ex diverso fonte Ovidius addit, qui aptiorem ei ad narrandum formam praebuit; neque enim ipsum lapides in mulierem conjectos invenisse ex Schol. ad Eur. Hec. 1259 patet. Apud ceteros aut antequam se in mare praecipitavit, ut apud Euripidem (v. 1261—1265), Servium (ad. Virg. Aen. III, 6), aut post hoc factum, ut apud Hyginum (fab. 111), Nicandrum (Schol. Eur. Hec. 1; Schneider Nicandrea p. 67) mutatur. Nicandro certe, sive in Ἑτεροιουμένοις sive ut mihi videtur, alio loco fabulam narravit, non usus est Ovidius, cum apud illum prope Trojam ardentem mutatio fiat.

Apparet Ovidium aut ipsius Euripidis aut tragici cujusdam Romani illum anxie vertentis ut Ennius fecit tragoedia usum esse, sed ita, ut in universum quidem res ac facta oedem modo atque oedem ordine narraret, quae autem ad rem non facerent, quaeque ingenio suo minus apta essent, aut omitteret aut mutaret, quaedam etiam aliunde adderet, ut color poëticus prorsus novus Ovidioque proprius existeret neque nisi paucis in orationibus sententiae aliquae ex tragoedia reciperentur. Sed utrum ipso Euripide an Ennio usus sit decerni nequit, cum huius poetae fragmenta maxima ex parte Euripidis versibus accurate respondeant, duo tantum, V et VIII (Ribbeck, tragicorum Romanorum reliquiae, p. 142) doceant, interdum eum longius exspatiatum esse. Fragmentum III a Nonio tribus locis allatum sine dubio sic scribendum, ut tertio et in codice Bambergensi etim secundo lolo traditum est (Vahlen Ennianae poesis reliquiae, p. 117): „Heu me miserum! interii: pergunt lavere sanguen sanguine," et ad Polymestorem referendum est, cum optime in hujus regis liberorum, minime in Polixenae vel Polydori mortem quadret.

Praeterea Ovidius in narrationibus de Hippolyto (XV, 492—546) et de Bacchis (III, 511—733) eandem materiam tractat atque Euripidis tragoediae servatae. Posterior fabulae Hippolyti pars a versu 531 sicut narrationis Fastorum, qui versibus 735—762 libri VI de aedem re agunt, a versu 746 e Vergilio (Aen. VII, 761 sq. sq.) hausta est, reliqua autem narratio brevior est quam ut ex ea sola de fontibus quid statuere liceat. Atqui quarta Ovidii Epistola certissime ex ambobus Euripidis Hippolytis conflata est. Mores quos Phaedra in priori Hippolyto exercet multo magis Ovidio conveniunt quam quos in altero habet, cum feminas pro ingenio suo aut castissimas aut libidinosissimas fingere soleat neque medium quiddam tenere possit. Itaque eosdem animi affectus in illa Epistola ei tribuit atque Euripides in priori Hippolyto aut ac Sophocles in Phaedra, sed more suo in nimium exaggerat. Praetera cum illa tragoedia conveniunt Ovidii versus 107 et 110, quibus Theseum ex Orco Athenas reversum narrat, (Welcker, Die griechische Tragödie II, p. 739 sq.) deinde versus 113 sq. sq., collatis verbis Plutarchi (de aud. poet. p. 28 a; Welcker p. 738; Nauck, Euripidis perditarum tragoediarum fragmenta

p. 113): „(Εὐριπίδης) τὴν Φαίδραν καὶ προσεγκαλοῦσαν τῷ Θησεῖ πεποίηκεν, ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἱππολύτου.“ Tamen etiam alterum Hippolytum eum adhibuisse patet. Sane versus 55 sq. sq. (Eur. 337), 67 sq. sq. (Eur. 24 sq. sq.), 95 (Eur. 454), 132 (Eur. 460) etiam ex priori sumpti esse possunt, ex quo multa in alterum transiisse apparet ex versibus 447—450 a nutrice dictis, qui Phaedrae verbis in fragmento prioris respondent (frg. inc. 890 Nauck a Matthia huc relato):

„Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ·
Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο·
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταὐτὸν δύο,
Φύουσιν ἡμῖν πάντα καὶ τρέφουσ' ἅμα,
Δι' ὧν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.“

At versus 149—150 sine dubio ad Phaedrae alterius pudicitiam et quasi rusticitatem spectant, quam suae Phaedrae non esse aptam Ovidius docere vult; atque etiam 151—152 Euripidis versibus 391 sq. sq. respondent. Age vero tragoediae versus 208—211, 215—221, 228—131, qui ab Ovidio 41—52 versi sunt, nisi quod rei augendi causa Bacchicum furorem inepte admiscet, adeo cum Phaedrae prioris moribus pugnant, ut ibi exstitisse non possint. Ovidio autem aptissimi erant ad affectum aliquem describendum, neque scrupulum movebat quod hoc modo Phaedrae animi habitus plane sui dissimilis fieret. Id patet, poetam ambas Euripidis tragoedias, non tantum epitomas adhibuisse in hac epistola conscribenda.

Quae cum ita sint, etiam narrationis Metamorphoseon et Fastorum Euripidem fontem fuisse veri simile est. Utra autem ejus tragoedia ibi adhibita sit, ex brevi narratione non dilucide apparet. Versus Metamorphoseon 501 et 506, Fastorum 739 ad priorem Hippolytum, Metamorphoseon 503 ad utrumque pertinere videntur. Cum descriptio mortis in universum quidem eadem sit atque apud Euripidem, in singulis autem non multum similitudinis habeat ex memoria tantum his locis poetam fabulam reddidisse puto.

In narratione Ovidii de Bacchis nihil pugnat cum Euripidis tragoedia, sed res quae traduntur eaedem sunt. In singulis congruunt Ovidii versus 555, 563, 700 cum Euripidis 235, 355,

447; praeterea quod apud Euripidem Dionysus se hominem quendam de Lydia gente ortum esse simulat, Ovidio ansam praebet ad narrationem de Tyrrhenis nautis in monstra marina mutatis inserendam. Sed hae similitudines quamquam non ex epitome quadam tragoediae forte adhibita, optime tamen ex memoria natae esse possunt, cum non sint maximae. Ipsam tragoediam Ovidio cum haec scriberet non praesto fuisse puto, quia in longa Penthei oratione et in mortis descriptione clariora tum vestigia Euripideae narrationis sine dubio apparerent, et quia ii Ovidii versus, qui maximam similitudinem cum Euripideis habent, 699 et 700, non, ut hi, de Bacchis captivis, sed de ipso Dionyso dicti sunt. Idem in Accii tragoediam cadit Euripidem imitantis, cujus fragmenta (Ribbeck p. 569), non plus similitudinis praebent. Aeschyli, Jophontis, Lycophronis, Heraclidae Pontici tragoedias in usum vocatas esse non veri simile est, quia in ipsis rebus nusquam ab Euripide discedit Ovidius. De Pacuvio egregie fallitur Ribbeckius (p. 280) Ovidium ejus tragoediam arte secutum esse existimans. Nam postquam a Servio (ad Virg. Aen. IV, 469) Pacuvii tragoediae mentio facta est, ab alio quodam Penthei fabula ex ipso Ovidio addita est, id quod Ribbeckium fugit.

De Peliadibus Ovidium (VII, 159—349) Sophoclis tragoediam, cui Ῥιζοτόμοι inscriptum fuit, adhibuisse et imprimis, accuratam et pulchram descriptionem, quae versibus 179—284 continetur, ex ea mutuatum esse Welckerus (I, p. 342) putat, sed nullo jure, ut mihi videtur. Nam quam vulgatae et excultae illis temporibus artes magicae Romae fuerint, abunde elucet ex Ov. Am. II, 1; Tib. I, 2; Prop. IV, 5; Virg. Ecl. 8; Hor Epod. 5; Sat. I, 8. Universa autem narratio potius ex Euripide quam ex Sophocle fluxisse videtur. Apud hunc enim tragoedia incipit consilio patris recoquendi jam pacto, finitur sine dubio regia Peliae ab Jasone vi capta, quae res ab Hygino (fab. 24) et Diodoro (IV, 52) narratur, ab Euripide autem eadem narrantur atque ab Ovidio, ut ex argumento partis fabulae a Mose Chorenaeo servato et ex fragmentis patet. Etiam in singulis similitudines apparent. Apud Ovidium et Pausaniam (VIII,11,2) odium cum conjuge Medea simulat. Eodem autem spectare videtur Euripidis fragmentum 611:

„Ἐν τοῖσι μὲν δεινοῖσιν ὡς φίλοι φίλων,
Ὅταν δὲ πράξωσ' εὖ, διωθοῦνται χάριν,
Αὐτοὶ δι αὐτοὺς εὐτυχεῖν ἡγούμενοι.

Iam vero Ovidii versibus 307 — 308 respondere videtur fragmentum 606:

„Αἰνῶ · διδάξαι δ', ὦ τέκνον, σε βούλομαι,
Ὅταν μὲν ᾖς παῖς, μὴ πλέον παιδὸς φρονεῖν,
Ἐν παρθένοις δὲ παρθένου τρόπους ἔχειν,
Ὅταν δ' ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν εὐγενοῦς πέσῃς
— — — — — — — — — — —
Τὰ δ' ἄλλ' ἀφεῖναι μηχανήματ' ἀνδράσιν."

Persei fabulam ita narrat Ovidius ut appareat notissimam eam tum fuisse; imprimis Danaes et Polydectae fabulas breviter tantum perstringit, cum per tragoedias sine dubio vulgatae fuerint. Accuratius Andromedae poenam et salutem, ac certamen inter Perseum et Phineum commissum describit, quibus in rebus conspirat fere cum Apollodoro (II, 4, 1—3). Addit praeterea mutationes Atlantis in montem, sanguinis Medusae in angues, plantarum marinarum in curalia, formae Medusae pulchrae in turpem. Haec igitur narratio quamquam in posteriore parte plane abhorret ab ea fabulae forma, qum Euripides eumque secutus Ennius habent, tamen in priore haud paucas similitudines cum illorum tragoediis in singulis praebet. Conferantur Ovidii versus IV, 675 cum Euripidis fragmento 124:

„Ἔα · τίν' ὄχθον τόνδ' ὁρῶ περίρρυτον
Ἀφρῷ θαλάσσης, παρθένου τ' εἰκώ τινα
Ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τυκισμάτων
Σοφῆς ἄγαλμα χειρός;"

Ovidii versus 681 et 685 cum Euripidis fragmento 127:

„Σιγᾷς; σιωπὴ δ' ἄπορος ἑρμηνεὺς λόγων,"

Ovidii versus 699 cum Euripidis fragmento 125:

„Περσεὺς πρὸς Ἄργος ναυστολῶν τὸ Γοργόνος
Κάρα κομίζων,"

Ovidii versus 722 — 725 cum Ennii fragmentis 6:

„Circum sese urvat ad pedes, terra occulit Caput."

5: „Corpus contemplatur unde corporaret volnere,"

4: „ Scrupeo investita saxo, atque ostreis squamae scabrent."

Ex memoria videtur haec narrationi suae inseruisse. Ipsam autem propter pugnam accuratissime descriptam et partem fabulae in epulis narratam ex epico carmine aliquo fluxisse cum Welckero (II, p. 663) puto. Unde ceterae mutationes sumptae sint, non liquet, pars earum fortasse ex eodem carmine epico. Atlantis transformationem praeterea narrant Servius (ad Virg. Aen. IV. 246) et leviter mutatam Tzetzes (ad Lyc. 829) ex Polyido dithyramborum scriptore, sanguinis Medusae Apollonius (IV, 1513) et Lucanus (IX, 619), curaliorum Orphei λιϑικά, Medusae nemo.

E Sophoclis tragoediis praeter Rhizotomos, de quibus supra egi (p. 10 sq.), Nioben et Tereum ab Ovidio in Metamorphosibus adhibitas esse Welckerus putat (I. p. 286 et 376). Quae sententia de Niobe quidem haud temere spernenda est, ut Rohdius fecit (p. 129 A). Cum Welckero consentiunt Hermannus (op. III, p. 37 sq.), Burmeisterus (de fabula quae de Niobe ejusque liberis agit, Wismar 1836), Starkius (Niobe und die Niobiden, Leipzig 1863, p. 44 ff.) Certe cum Welckero (p. 289) et Starkio (p. 72) statuendum est, multos colores tragicos inesse in Ovidii narratione (VI, 146—312). Versus 165—203 optime quadrant in reginam in scenam progredientem et chorum increpantem, qui in parodo alta voce Latonam laudibus extulit, nunc autem minis reginae territus summissius deam veneratur. Imprimis versus 193 similis est fragmento quod Plutarchus (consol. ad. Apoll. 28) ex Niobe tragoedia auctoris nomine non addito affert a Welckero huc revocato:

„Ἀεὶ ϑαλέϑοντι βίῳ
Βλάσταις τέκνων βριϑομένα
Γλυκερὸν φάος ὁρῶσα.“

Deinde versus 205—217 prologo a Latona vel Apolline dicto optime conveniunt. Praeterea Ovidius, cum naturam Niobes divinam versibus 170—176 praedicat, consentit cum Sophocle (Ant. 822—838; El. 150—152). Jam 218—266 e nuntii narratione videntur esse. Deinde ut ubique paene anxie vitat puerorum amores prolixius describere, omittit quae Sophocles de uno ex filiorum numero juvenem quendam amatum extremo spiritu invocante narravit, testibus Plutarcho (Erot. 17) et Athenaeo (XIII, p. 601 a). Deinde in breve coactis quae sequuntur, nutricis

et sororum querelis omissis animi affectus Niobes, quae quamquam atrocissimo dolore cruciatur, tamen superbiam et confidentiam non ponit filiarum numero fisa, depingere studet, sed minus bene hoc cedit ingenio ejus ad talia non apto. De qua re optime Welckerus (p. 292):

„Unter diesem, so mag man sich gern denken, sprach die erhabene Niobe kein Wort, da Sophocles nicht scheut, sondern zum Princip hat, von Aeschylus zu entlehnen und zu benutzen; sondern drückte, mit den erkalteten Jünglingen beschäftigt, nur durch Geberden den dumpfen Schmerz des ersten überwältigenden Eindrucks aus. Dann ermannte ihr von dem Unglück bedrohtes, noch nicht vernichtetes innerstes Wesen sich, und sie sprach in Worten, die wir nicht aus Ovid, so meisterlich er das Aeussere der Erscheinungen zu zeichnen versteht, ahnen zu wollen berechtigt sind; denn ob er das Ethos in der Niobe des Sophocles ganz fasste, ist zweifelhaft, und gewiss ist, dass er es in seine Skizzen nicht aufnehmen oder treu wiedergeben durfte, um den Ton seiner Dichtart und die Harmonie des Ganzen zu bewahren.“

De exitu Niobes ab Eusthathio (II, p. 1367,27) traditur eam in Lydiam venisse. Quod qua ratione factum sit nescitur. Fortasse ut Plutarchi loco laudato a dis petit „*ἀνάρπαστον γενέσθαι πρὸς ἀπώλειαν τὴν χαλεπωτάτην*“ et a deo aliquo hoc sibi eventurum esse certior fit. Ovidio haec minus poterant placere, cum nec tantam gravitatem ingenio comprehenderet et transformatio ei res praecipua esset. Cujus conjunctio cum antecedentibus sua sponte paene se praebebat. Ex his Ovidium in narratione de Niobe Sophoclis tragoediam eodem fere modo secutum esse atque de Hecuba Euripidem etsi non certum, valde tamen veri simile existit, neque causa est, cur cum Rohdio (l. l.) ex tragoedia Alexandrinae demum aetatis Ovidium hausisse potius putemus. Atque minore etiam cum jure idem vir doctus de Euphorione cogitavit, cujus narratio, (Meineke, Analecta Alexandrina v. 146.) in rebus gravissimis a Sophocle et Ovidio discedit.

Contra in narratione de Procne et Philomela (VI, 422—674) nihil prorsus inest quod fragmentis Sophoclis aut Accii qui eum sequitur simile sit. At notam Ovidio fuisse tragoediam Graecam hanc materiam tractantem elucet ex Trist. II, 389. Ante oculos

autem Sophoclis Tereum scribenti ei fuisse veri simile non est, cum maxima et ornatissima narrationis pars usque ad versum 570 ab eo aut prorsus afuerit aut breviter tantum a famulo aliquo qui Tereum comitatus erat narrata exstiterit; sed optime ex memoria ejus tragoediae ita narrare potuit. Notissimam Ovidio hanc materiam fuisse ex crebra mentione in ceteris carminibus patet. Itaque non necesse est de Philoclis tetralogia cogitare; quin etiam firmatur suspicio nostra eo quod haec fabula narrationi de Niobe, quam e Sophocle fluxisse vidimus, continuo succedit Inepte Rohdius (l. l.) Euphorionem fortasse fontem fuisse putat ob unum versum 432 similem Euphorionis fragmento (Meineke p. 40):

„*Ποικίλον οὐδὲ μέλαθρον.... ὀρχίλος ἔπτη*
Κυζίκου, ὃν δ' ἤεισε κακὸν γάμον ἐχθομένη κρέξ“,

neque considerat et saepissime hanc sententiam apud poetas Latinos inveniri et de prorsus alia fabula eam ab illo poeta nuncupatam esse.

Patere puto, Ovidium cum Metamorphoses componeret, Graecos tragicos et eos clarissimos aut inspexisse aut ex memoria adhibuisse. Quot autem alias fabulas ex eodem fonte fluxisse putemus, cum plurimae tragoediae exstiterint de quarum argumentis aut nihil aut nimis pauca atque dubia nobis nota sint. Exempli causa affero Orithyiae raptum, qui Procnes fabulam continuo excipit, quae materia Aeschyli et Sophoclis tragoediis celebrata erat, et armorum iudicium ab Ovidio libri XIII versibus 1—383 narratum. De quo Koechlyus (ad Quintum Smyrnaeum 180) mira similitudine quae intercedat inter Ovidii et Quinti descriptionem accurate exposita recte statuit eundem his poetis fuisse fontem, Ovidium autem non solum pro ingenio, patria, aetate orationes luminibus artificiisque rhetoricis vel maxime ornasse, sed etiam multa ex memoria rhetorumque exercitationibus, ut de M. Porcio Latrone constat, arrepta addidisse cum quae ad rem tum quae ad formam pertinerent. Quoniam autem Pacuvii et Accii tragoediarum reliquiae (Ribbeck p. 218 et 368) valde similes sint narrationi Ovidii et Quinti, ex eadem tragoedia Graeca Pacuvius Accius Ovidius Quintus videntur hausisse. Recte contra Koechlyum Rohdius (p. 129) disputat differentias inter Ovidium et ejus fontem non nasci ex Alexandrinorum more, sed ex Romanorum

vel Ovidii ipsius proprio. Etenim illius aetatis elegias et epyllia Ovidium iisdem rationibus in usum suum immutasse atque tragoedias iam docebimus.

Ac primum quidem fabulam de puella Cypria in lapidem versa (XIV, 698—771) ex ipso Hermesianacte, ex cujus Leontii libro altero eam servat Antoninus Liberalis (XXXIX) haustam esse certissimis causis docemur. Hermesianactis illud carmen ita compositum erat, ut poeta Leontio puellae amatae varias narraret fabulas, quibus amorem eius sibi conciliaret servaret augeret. Atqui eodem modo apud Ovidium Vertumnus nymphae amatae poenam virginis illius nimis durae narrat, ut castitatem eius vincat. Non casu hoc evenisse et per se veri simile est et probatur mirantibus tot fabulis Italicis repente Graecam immixtam esse. Deinde conferantur praecipue Ovidii versus 698--900 cum Antonini verbis: *'Αρκεοφῶν .... ἦν ..... γονέων οὐκ ἐπιφανῶν ..... οὗτος ἰδὼν τὴν θυγατέρα τὴν Νικοκρέοντος τοῦ Σαλαμινίων βασιλέως ἠράσθη· γένος δὲ ἦν τοῦ Νικοκρέοντος ἀπὸ Τεύκρου τοῦ συνελόντος Ἴλιον 'Αγαμέμνονι*"; versus 702—703 et 709 cum: „*Νυκτὸς ἐπὶ τὰ οἰκία τῆς 'Αρσινόης ἐφοίτα καὶ διενυκτέρευσε μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν· ἐπεὶ δ' αὐτῷ πρὸς τὸ ἔργον οὐδὲν ἐπετυγχάνετο, πείθει τροφὸν αὐτῆς,καὶ πλεῖστα δῶρα πέμψας ἐπειράθη τῆς παιδός, εἴπως αὐτῇ δύναιτο κρύφα μιχθῆναι τῶν γονέων*"; versus 750 cum: „*Καὶ πρὸς τὸ ἔργον ἐνεμέσησεν ἡ θεός*" et „*μισήσασα δὲ 'Αφροδίτη τὸ ἦθος μετέβαλεν κτλ.*" Discrepantiarum autem causae in aperto fere sunt. Ac nomina quidem mutavit Ovidius, ne transformationem fabulosam in aetate suae proxima poneret; nam Nicocreon Arsinoes pater anno 312 a Ptolemaeo Cypri tyrannus constitutus est. Perverse autem Rohdius (p. 79) iudicat Hermesianactem fabulam sua sponte ex summa antiquitate in illum tyrannum transtulisse. Iam Ovidius ut solet iuvenem quam infelicissimum describit; itaque neque dives est neque puellae nobilitate ad nuptias etiam magis petendas incitatur, sed deterretur potius, ut invitus quasi insana cupiditate obrutus esse videatur. Atque ut Anaxaretes fastidium clarius appareat, pater ne comperit quidem Iphidis amorem neque per ipsum neque per nutricem, Anaxarete autem „factis immitibus verba superba addit."

Ad ea quae sequuntur poeta carmen bucolicum adhibuit quod in Theocriti reliquiis vicesimum tertium tenet locum, quodque ei cum notum sine dubio iam antea fuisset, hoc loco in mentem venit. Praebebat autem narrationem de morte amantis quae multo aptior ei videretur ad animos commovendos, cum ante ipsius puellae portam iuvenis se suspenderet. Facile erat poetae ingeniosissimo addere, extremo corporis motu eum puellae ianuam pulsavisse. Atque etiam Theocriti versus 20—21:

„— — — — δῶρα τοι ἦλθον
Λοίσθια ταῦτα φέρων, τὸν ἐμὸν βρόχον"

optimam ei dabant ansam ad facete quid dicendum versu 736. Praeterea ex versuum Ovidii 716—717 et Theocriti 16—19 similitudine illud carmen ab Ovidio adhibitum esse elucet. At in extremis iuvenis morientis querelis a carminis bucolici habitu molli et flebili et qui Bione haud indignus sit, plane abhorret et luminibus rhetoricis adhibendis ingenium ostentat versibus 422, 425, 436. In reliqua deinde narratione Hermesianactem rursus sequitur.

Multo artius Ovidius Theocriti vestigia premit in fabula de Polyphemo et Galatea (XIII, 750—897). Conferantur modo Ovidii versus 762—763 et 781 cum Theocriti carminis XI versibus 11—13, Ov. vers. 778—780 cum Theocr. vers. 17—18, Ov. 789 sq. sq. cum Theocr. 20—21, Ov. 808—820 cum Theocr. 42—49, Ov. 821—830 cum Theocr. 34—37, Ov. 831—837 cum Theocr. 40—41, Ov. 848—849 cum Theocr. 63—66. Multa tamen Ovidius novavit pro indole naturaque. Versibus 808—837 sententiarum ordinem turbat, quia non videt Polyphemum Theocriti versibus 30—41 corporis turpitudinem a reliquae naturae praestantia, versibus 42—49 maris solitudinem a domicilii sui amoenitate distinguere. Deinde res quibus comparat Galateam Polyphemus, in nimium auget et sicut Vergilius (Ecl. VII, 37—38) ludendo quasi libere mutat, id quod aptissimum est hoc loco. Iam vero figurae deformitatem, imprimis vastam magnitudinem cum ridicula corporis contemplandi et colendi cura multis locis quam acerrime confligere studet. Itaque ex carmine Theocriti sexto versus 35—38 in usum suum vocat. Ex eodem praeterea carmine (v. 23—24) Telemi auguris mentio sumpta est, cum occasionem daret ad lepide quid dicendum (v. 775).

Acidis fabulam aliunde Ovidius sumpsit. Cum autem de Galatea post Philoxenum (Bippart, Philoxeni Timothei Telestis reliquiae, Lipsiae 1843, p. 40) carmina composuerint Callimachus (Schneider Callimachea II, p. 164) et Hermesianax (Bach, Philetae Hermesianactis Phanoclis reliquiae, p. 111) alterutrum de Acidis amore egisse veri haud dissimile est. Exstabat fabula in qua Galatea Polyphemi cantibus movebatur; vide Timaeum in Et. Magn. p. 220, 4; Propertium IV, 1, 45; Nonnum saepius. Quae fabulae forma cum illa de Acide conjuncta esse non potest. Cum autem Callimachum illam secutum esse appareat recte cum Rohdio (p. 77, A.) interpretantibus unicum fragmentum ab Athenaeo (VIII, p. 284 C.) servatum:

„Ἢ μᾶλλον χρύσειον ἐπ' ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθύν,
ἢ πέρκας ὅσα τ' ἄλλα φέρει βυθὸς ἄσπετος ἅλμης,“

veri haud dissimile videtur Ovidium in hac quoque narratione Hermesianactem secutum esse, cujus unicum fragmentum quod exstat apud Herodianum (περὶ μονήρους λέξεως p. 16) certe non pugnat cum Ovidio:

„Δερκόμενος πρὸς κῦμα, μόνη δέ οἱ ἐφλέγετο γλήν.“

Ac ne Bionem quidem, cujus poetae mollitia mirum quantum abhorret ab Ovidii ingenio, ab eo spretum esse satis elucet ex summa similitudine Ovidii versuum 185—189 libri decimi cum Bionis fragmento XI:

„Ἀμφασία δ' ἄρα Φοῖβον ἕλεν τόσον ἄλγος ἔχοντα.
Δίζετο φάρμακα πάντα, σοφὰν δ' ἐπεμαίετο τέχναν.
Χρῖεν δ' ἀμβροσίᾳ καὶ νέκταρι, χρῖεν ἅπασαν
Ὠτειλάν· μοιραῖα δ' ἀναλθέα τραύματα πάντα.“

Atque etiam versus sequentes 190—195 Bionem sapiunt. At profecto neque integram fabulam narrasse neque vero de Hyacinthiis egisse hunc poetam verisimile est. Duas minimum Ovidium de Hyacintho adhibuisse narrationes poeticas praeterea ex promiscuo Amyclidae et Oebalidae nominum usu elucet. Peculiare autem de Hyacintho carmen composuerunt Euphorion (Meineke p. 69) et Nicander. Quod ut probem, aliquantisper egredi liceat. Volkmannus (De Nicandri Colophonii vita et scriptis, Halis 1852) Nicandrum ordinem fabularum ita instituisse putat, ut singulis libris singulas regiones percurreret, occasione autem oblata hic

illic alias narrationes brevius afferret. Contra eum Schneiderus disputat, hanc sententiam nisi vi tantum adhibita ex Nicandri reliquiis enucleari non posse, neque ullo vinculo conjunctas fabulas sine dubio eum juxta posuisse. Neque tamen negari potest omnes fabulas ex primo libro servatas in Thessalia versari, ex quarto libro plurimas in Boeotia, ex tertio duas in Aetolia, ex quarto unam integram in Creta positam esse, alteram certe ibi incipere. Sed etiam ipsae fabulae in singulis libris ex parte quidem inter se similes sunt. In secundi libri fabulis de Byblide et de Aspalide infans a matre expositus a beluis alitur. In tertio libro et Ctesylla et Meleager parentum culpa innocentes moriuntur. In tribus quarti libri fabulis (VIII, XXV, XXVII) juvenes aut puellae pro publica salute mortem obeunt. Eodem igitur modo Nicander atque Ovidius fabulas inter se nexuisse videtur, ut modo quibus eadem patria esset, modo quae similes res tractarent, modo quae aliter inter se cognatae essent, componeret, minus tamen artificiose quam Ovidius. Quae cum ita sint, de parte huius carminis dici non potuit: „*ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑακίνθῳ*,“ ut factum est in Scholiis ad Theriaca 585: „*Δημήτριος ὁ χλωρὸς τὴν βούπλευρον δένδρον εἶναί φησιν, οὐκ ἔστι δὲ, ἀλλὰ λάχανον, οὗ μνημονεύει Νίκανδρος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑακίνθῳ.*“

Hoc autem carmine Nicander, cum eadem eum uberius narrasse veri simile sit atque Theriacorum versibus 901—906 tetigit, ea ipsa narravit quae Ovidius; imprimis et ipse cum *βούπλευρον* memoraret, de herbis quibus Apollo vulneri mederi conatus esset, videtur egisse.

Sed etiam Euphorion idem hoc attulisse videtur, si modo recte coniicio fragmentum apud Meinekium 37:

„*Κώκυτός τοι μοῦνος ἀφ' ἕλκεα νίψεν Ἄδωνιν*“

discrepantiam quandam indicare inter Adonidis et Hyacinthi fata suprema. Ceterum fragmenti 36:

„*Πορφυρέη Ὑάκινθε, σὲ μὲν μία φῆμις ἀοιδῶν*
Ῥοιτείης ἀμάθοισι δεδουπότος Αἰακίδαο
Εἴαρος ἀντέλλειν, γεγραμμένα κωκύουσαν“

habitus talis est, ut pateat hos versus continuo exceptos fuisse a narratione fabulae de Hyacintho et Apolline. Itaque fragmenta 38 et 90 quae de Ajace agunt non ut Meinekius ex Hyacintho

sumpta esse puto. Alterutrius igitur carmine Ovidius usus esse, inseruisse autem quaedam ex Bione videtur, ut de Hermesianacte et Theocrito factum vidimus, fortasse ex memoria. Ac de Euphorione quidem ut cogitemus fabulae de Ajace mentio suadere videtur, de Nicandro similitudo cum Theriacorum narratione, et Hyacinthiorum mentio, quae aptissima fuerit Nicandro, de qua re diiudicare non ausim. Fortasse alteruter fabulam de Zephyro Apollinis aemulo, quam Lucianus (de salt. 38) tangit, addidit.

Omnino de Euphorione, quamquam compluria eius fragmenta de fabulis agere videntur quas Ovidius quoque narrat, de Anio (Meineke p. 16), de aconito ex Cerberi spumis orto, (p. 64), de Melicerta (p. 80), de Iphigenia (p. 103, 117, 143), de Periclymeno (p. 113), de Niobe (p. 146), certi quid tamen statui nequit, cum et omnes reliquiae illae brevissimae tantum sint et nonnullae aliena ab Ovidio perhibeant.

Neque vero ulla Philetae vestigia apud Ovidium exstant. Nam in fragmento eius quod de Hippomene et Atalanta agit (Schol. Theocr. II, 120):

— — — — — „τά οἵ ποτε Κύπρις ἑλοῖσα
Μῆλα Διωνύσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων"

Venus mala aurea ex Liberi corona ut praeterea apud Callimachum ἐν λογάσι (Schneider II, p. 285), apud Ovidium autem ex horto suo in Cypro sito sumit. Tamen hunc poetam, qui notissimus ei esset adhibitum esse ubicunque occasio esset per se patet. Callimachi quidem usus multis locis uno cum illo nominati in aperto est.

Icari mortis narratio in Metamorphosibus (VIII, 183—235) atque in Arte (II, 21—96) simillima, immo eadem fere est. Quis autem credat poetam ingeniosissimum et eiusdem rei variandae peritissimum non modo singulas sententias elocutionisque figuras ut saepissime fecit, sed universum longioris narrationis tenorem iisdem fere verbis repetiturum fuisse, nisi utroque loco ex eodem fonte hausisset? Praecipue versuum Metamorphoseon 217—220, Artis 77—78 sententia tam singularis est, ut non ab Ovidio excogitatam, sed ex alieno carmine sumptam eam esse pateat. Age vero totius narrationis color, accurata leviorum rerum descriptio, talis est, qualis unice deceat Callimachum, cuius vide fragmentum 5

(Schol. Il. II, 145): „*Τοῦ Ἰκαρίου πέλαγους κεκλημένου οὕτως ἀπὸ Ἰκάρου τοῦ Δαιδάλου παιδὸς πεσόντος εἰς αὐτὸ καὶ ἀπολομένου οὕτως. μετὰ τὴν τῆς Πασιφάης πρὸς τὸν ταῦρον μίξιν Δαίδαλος εὐλαβούμενος τὴν Μίνωος ὀργὴν πτερωτὸς σὺν Ἰκάρῳ τῷ υἱεῖ ἐφέρετο· καταπεσόντος δὲ τοῦ παιδὸς, τὸ ὑποκείμενον πέλαγος Ἰκάριον μετωνομάσθη, ὁ μέντοι Δαίδαλος διαπτὰς εἰς Κάμικον τῆς Σικελίας καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκδεχόμενος ἔμεινε παρὰ ταῖς Κωκάλου θυγατράσιν, ὑφ' ὧν ὁ Μίνως ἥκων ἐπ' ἀναζήτησιν τοῦ Δαιδάλου ἀποθνήσκει καταχυθέντος αὐτοῦ ζεστοῦ ὕδατος· ἱστορεῖ Φιλοστέφανος καὶ Καλλίμαχος ἐν Αἰτίοις.*“

De mari Icario ab Icaro denominato Ovidius quatuor locis agit (Art. II, 96; Met. VIII, 235; Trist. I, 1, 79; III, 4, 19). Itaque nullus dubito quin in hac fabula narranda Callimachi elegiam arte secutus sit.

Eadem fere ratiocinatio adhibenda est, cum fontes narrationis de Philemone et Baucide (VIII, 620—724) indagantur. Similitudo enim non solum totius descriptionis cum narratione de Hyrieo in Fastis (V, 493—536) tradita, sed etiam singulorum versuum, Metamorphoseon 641—645 cum Fast. 506—508, Met. 655—660 cum Fast. 519—520 Met. 668—670 cum Fast. 522, Met. 677—678 cum Fast. 503, Met. 681 cum Fast. 514 satis aperte docet, utroque loco eundem fontem poeticum eum adhibuisse. Cum autem tale descriptionis genus et Callimachi ingenio optime respondeat et in eius Hecale pulcherrime excultum fuerit, suspicari licet hoc carmine apud antiquos celeberrimo Ovidium usum esse. Quae suspicio augetur versu Metamorphoseon 724, qui optime quadrat in Hecalae fabulam, (cf. Plut. Thes. 14: „*Ἔθυον γὰρ Ἑκαλήσιον οἱ πέριξ δῆμοι συνιόντες Ἑκάλῳ· διὸ καὶ τὴν Ἑκάλην ἐτίμων Ἑκαλίνην ὑποκοριζόμενοι, διὰ τὸ κἀκείνην νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζουσαν ἀσπάσασθαι πρεσβυτικῶς καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοιούτοις ὑποκορισμοῖς*“), et confirmatur conferentibus Metamorphoseon versum 644 cum Callimachi fragmento 66c ex Hecale servato: „*Παλαίθετα κᾶλα καθήρει*“; Met. vers. 664—666 cum Callimachi fragmentis 63: „*σόγχος*“, 64: „*κρῆθμον*“ et 50:

„*Γεργέριμον πίτυρίν τε καὶ ἣν ἀπεθήκατο λευκὴν*
Εἰν ἁλὶ νήχεσθαι φθινοπωρίδα“;

Fast. 502 cum Call. frg. 41:

„— — — — — — — τῖον δέ ἑ πάντες ὁδῖται
Ἦρα φιλοξενίης· ἔχε γὰρ τέγος ἀκλήιστον.“

Ex Callimachi fragmentis incertae sedis a viris doctis ad Hecalen revocatis conferenda sunt fragmentum 237: „Τὸν μὲν ἐπ' ἀσκάντα κάθισεν,“ cum Met. vers. 639; frg. 289: „δανὰ ξύλα κέασσαι“ cum Met. 645; frg. 246: „Δίκροον ἤρυγε φίτρον ἀειραμένη“ cum Met 647; frg. 530: „ἐπὶ τρύγα δ'εἶχεν ἐδωδῇ“ cum Met. 672; frg. 442: „ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω“ cum Met. 721; fragmenta anonymon 41 et Callimachi 178 et 205 a Schneidero (p. 183) sic in unum conflata:

„Αἶψα δὲ κυμαίνουσαν ἀπαίνυτο χυτρίδα κοιλὴν
Αὖτις ἀπαιτίζουσαν ἑὴν εὐεργέα λάκτιν
Καὶ κρῖμνον κυκεῶνος ἀποστάζοντος ἔραζε“

cum Fast. vers. 510. Praeterea ut Philemon et Baucis attoniti sunt cum primum deos agnoverunt, ut Hyrieus pallet, sic etiam Hecalen obstupefactam esse herois clarissimi nomine audito credibile est, et narratio de ansere eam fugiente prorsus Callimachum sapit. Sermones inter Theseum et Hecalen (Schneider p. 181) ab Ovidio in unum coguntur versum 651.

Ovidius igitur, cui pulcherrima Callimachi narratio mirum quantum placeret, cum ei locum neque in Metamorphosibus neque in Fastis reperire posset, aptissime usus est ea ad similes Hyriei et Philemonis fabulas poetice ornandas, effecitque in Metamorphosibus certe narrationem pulcherrimam atque suavissimam.

Narrationem Fastorum (IV, 393—620) de raptu Proserpinae Callimachum sequi a Foerstero (Der Raub der Persephone, p. 75—80; 293—296) et Schneidero (p. 106) satis dilucide monstratum est. Sed Schneiderus infelici sua fisus opinione, Αἰτίων argumenta erui posse ex Hygini fabulis 273—277, post Celei fabulam Triptolemi fata continuata esse putat, ut Ovidii versibus 562—620 novus fons quaerendus sit. Certissime mea sententia cuncta Fastorum narratio e Callimacho fluxit; fragmenta autem quae Schneiderus ex fabula Triptolemi sumpta esse putat, optime ad eiusmodi prooemium, quale Ovidii versibus 393—416 continetur, revocantur. Ita fragmentum 513: „Μέσσαβα βοῦς ὑποδύς“ conferatur cum Ovidii Fastorum versu 414; frg. 268: „ἐν δὲ θέοι-

σιν ἐπὶ φλογὶ καιέμεν ὄμπας" cum Fast. 411; frg. 531: „τὸ μὲν θύος ἤρχετο βάλλειν" cum Fast 403 et 409. Sed haec non impediunt quominus post cunctam raptus et restitutionis fabulam narratam mysteriorum Eleusiniorum institutionem additam a Callimacho, ab Ovidio autem cum ad rem non faceret, omissam esse putemus. Optime huc referuntur fragmenta 523: „ἵν' ἀμάζονες ἄνδρες ἔασιν" et 183:

„Ἦ ἄφαρον φαρόωσι, μέλει δέ φιν ὄμπνιον ἔργον,"

collatis Metamorphoseon libri quinti versibus 646—647.

Nam etiam huius narrationis pars, versus 341—345, 385—404, 509—538, 564—571 haud dubie ex eodem fonte sumpti sunt. Quae sententia probatur universae descriptionis, praecipue extremae partis similitudine, deinde initio utriusque narrationis hymni in modum Cererem celebrante, denique similitudine fragmenti anonymi 102:

„Μύρσον ἐς ὠτώεντα παλαιφαμένης τ' ἄγνοιο"

rectissime a Schneidero huc revocati collato Fast. 435, cum Met. vers 393; frg. 539:

„Αὔλιος ὅς δυθμὴν εἶσι μετ' ἠελίου"

cum Met. 441; frg. 277: „Μαστύος ἀλλ' ὅτ' ἔκαμνεν ἀλητύι" nec cum Heckero (Commentationes Callimacheae p. 44) et Schneidero (p. 502) ad Colchos nec cum Naekio (De Callimachi Hecale, op. II, p. 181) ad Hecalen, sed levissima cum mutatione (pro ἄλλοτ' ἔκαμνον), cujus emendationis priorem partem jam agnoverunt Jacobsius (Animadversiones in Epigrammata Anthologiae Graecae, II, 2, p. 145), Heckerus (l. l.), Naekius (l. l.), improbante Schneidero, huc referendi cum Met. 446; frg. 533: „ὠλόψατο χαίτας" a Naekio (p. 251) ad Hecalen, a Schneidero (p. 677) ad Clitam vel Hypsipylen falso relati cum Met. 472. Verum neque in Fastis neque vero in Metamorphosibus Ovidius Callimachi vestigia anxie premit, sed universum narrationis tenorem servans singula pro ingenio consilioque immutat. Narrationem de Venere et Cupidine ipse invenit quia optimam praebet cum antecedentibus conjunctionem. Deinde varias corporum mutationes undique addit, alias fabulas a Callimacho narratas omittit. Sic ubi in Fastis longissima Cereris itineris descriptio est, in Metamorphosibus brevissime traditur quae loca Pluto tetigerit, ut Cyanes fabulae narrandae occasio

sit. Errores ipsi cogiuntur in paucos versus 438—445 et 462—463. Fabularum de Celeo et Metanira, Helice et Sole, Mercurio in Orcum misso, Triptólemo locum tenent transformationes Ascalabi, Cyanes, Arethusae, Ascalaphi, Sirenum, Lynci.

Incertiora multo de Jo omnia sunt. Haec fabula in Metamorphosibus (I, 582—747) atque in Epistola quarta decima admodum similiter narratur. Neque enim singuli versus tantum mirifice inter se congruunt, ut Met. vers. 632—634 cum Ep. 96—100, Met. 638—641 cum Ep. 89—92, sed etiam utroque loco summa fabulae in miseria quam virgo post transformationem perpessa sit, et consuetudine ejus cum patre describenda ponitur. Verum non solum Ovidium hanc potissimum fabulae partem poetice adornasse elucet ex Luciano (de salt. 45), ex Parthenii narratione secunda, in qua Inachus servos mittit qui filiam investigent, denique ex Calvi fragmentis 9, 10, 11 Mueller. Fragmentum 10 certe neque ad Junonem furtum Jovis suspicantem neque ad Jo Jovem fugientem pertinet, sed ad Inachum casum filiae amissae divinantem. Quae fragmenta cum congruant cum Metamorphoseon versibus 631, 587, 714, eundem auctorem eos secutos esse patet. Neque enim veri simile est, ex ipso Calvo Ovidium hoc loco hausisse. Nam ubicunque poetam Latinum adhibet, ut de Vergilio multis locis constat, quae ille uberius tractavit, in breve cogit, quae tetigit tantum ille, auget atque dilatat, ut prorsus nova esse videatur narratio. Calvus autem sine dubio carmen Graecum secutus est, in quo, ut e fragmentis 12, 13, 14 apparet, etiam errores et restitutio in pristinam figuram narrata erant; neque quae antecedunt omitti apte poterant. Itaque cunctam Metamorphoseon narrationem ex eodem fonte haustam esse puto excepta dumtaxat Syringis mutatione. In Epistola autem cum non nisi casus infelices Jus canere in mente haberet, cetera omisit; et ut in his quasi tirociniis Musae suae solebat, narrationem quaestionibus rhetoricis interdum haud pulchre interrupit.

Suidas in indice Callimachi operum Ἰοῦς ἄφιξιν affert. Quod carmen Schneiderus (p. 33) adventum ejus ad Nilum flumen et quae post eum acciderint tractasse putat. Sed quidni potius ea quae ante illud factum evenerint, poeta narraverit in eo? Nam profecto quae Ovidius profert aliquanto magis Callimachi ingenium

decent quam quae Schneiderus ab eo narrata esse arbitratur. Optime tum huc revocatur fragmentum 250 a Schneidero male ad Hecalen relatum (p. 184): „*ὅττι μάλιστα βοῶν ποθέουσιν ἐχῖνοι,*“ collatis versibus Metamorphoseon 632, Epistolae 96, et Calvi fragmento 9. Carmen, quo „Jo cornibus exterrita nomen habeat“, memoratur etiam in Amoribus (I, 3, 21).

Jam quid de Phanocle judicandum sit videamus. Ex testimonio Lactantii (Narr fab. II, 3) id tantum patet fabulam de Cycno Phaethontis amico a Phanocle similiter atque ab Ovidio (II, 367—380) narratam esse. Itaque num praeterea quid indagari possit considerandum est. Cetera ejus poetae fragmenta agunt de Orpheo, de Adonide, de Ganymede. Atque etiam Ovidius in libro decimo de iisdem narrat, sed prorsus diversa. Plurima ex iis quae de Orpheo perhibet (X, 1—105 et XI, 1—84), sine dubio ex Vergilio sumpsit (Georg. IV, 453—527), ita tamen, ut quae alter brevi tantum perstringeret, alter accurate describeret, et vice versa; transformationes nonnullas (X, 64—71; XI, 56—60; 67—84) ut saepius, aliunde addidit. Praeterea versus X, 83—85 et XI, 50—55 alium requirunt fontem; nam Vergilius nihil de lyra simul cum capite undis commissa addit. Atqui eadem haec Phanocles canit (frg. 1, vers. 7—17) et tanta in singulis similitudine, ut ex eo ipso Ovidium haec Vergilianae narrationi inseruisse veri haud dissimile sit. Illud Phanoclis fragmentum praeterea agit de Calaide juvene ab Orpheo adamato et de mulieribus Thraciis a maritis notis persignatis. Alterius narrationis locum obtinere Ovidius ex consilio operis transformationis fabulam jussit. Calaidis autem amorem omisit, quia ubique puerorum amores canere veretur. Eadem autem de causa etiam quae Phanocles de Adonide et Ganymede tradiderat, sprevit, sed ansam ex iis cepit ad alia de his adolescentibus narranda (X, 155—161; 298—739). Quae de Hyacintho a Thamyra amato Apollodorus (I, 3, 3) tradit, Phanoclem vel maxime sapiunt. Iam in Ovidii de Hyacintho narratione bis dicitur, per fata non licuisse adolescentem aut in vitam restituere aut inter astra collocare. At eadem sententia continetur Phanoclis fragmento 2:

„*Ἀλλά τοι Μοιράων νῆμ' ἄλλυτον, οὐδέ πῃ ἐστιν*
Ἐκφυγέειν, ὁπόσοι γῆν ἐπιφερβόμεθα.“

Itaque Phanoclem de Hyacintho quoque in Ἔρωσιν ἢ Καλοῖς egisse, Ovidium autem spreta illius narratione tamen singulas sententias recepisse puto. Quibus cum doceamur, in libro decimo conscribendo Ovidium Phanoclis Ἔρωτας ἢ Καλοὺς in usum vocasse, Cyparissi quoque fabulam (X, 106 — 142), quae et ipsa de puero a deo amato agat, ab eodem poeta narratam esse fortasse statuere licet.

Nonnullas fabulas in Metamorphosibus narratas, quamquam unde sumptae sint nescimus, tamen ex fonte pedestri oratione scripto non fluxisse cum accuratius in eas inquirimus docemur. Procridis mors ab Ovidio narratur in Metamorphosibus (VII, 796—855) et in Arte (III, 687—746). Hic ea sagitta ab arcu emissa necatur, illic telum, cujus genus non additur, e vulnere trahitur. Ergo in ea narratione, ex qua his locis hausit Ovidius, non traditum fuisse patet de jaculo illo inevitabili et ultro ad eum a quo emissum erat revertente, quod a Minoe Procridi datum esse saepius proditur et ab Ovidio indicatur 684 — 688.

Mortis Procridis causam auram vel nubem a Cephalo invocatam fuisse praeter Ovidium et Servium (ad Virg. Aen. VI, 445) qui narrationem praebet valde turbatam et quaedam sine dubio ex ipso Ovidio admiscet, solus narrat Pherecydes (Schol. Od. 9, 321). Idem de fide Procridis in discrimen vocata eadem narrat atque Ovidius. Contra qui hanc rem conjunctam cum fabula de Minoe a Procride sanato narrunt, Apollodorum (III, 15, 1) dico et Antoninum Liberalem (XLI), non ipsum Cephalum sed famulum ejus deprendere eam conatum esse tradunt. Quo efficitur Ovidium et haec et Procridis mortem ex eodem fonte narrasse. Porro fabula de cane et jaculo a Minoe Procridi datis saepe cum illa de vulpe Teumessia conjuncta est (Apollod. II, 4,7; Eratosth. 33; Antonin l. l). In hac autem narratione proxime ad Ovidium accedit Antoninus. Idem Cephali quoque cum Aurora consuetudinis eam formam habet, quam sequitur Ovidius. Itaque in tota Cephali et Procridis fabula Ovidius duos auctores secutus esse videtur, quorum alter in universum Pherecydis, alter Antonini narrationem praebebat. Ille quin poeta fuerit, nullus dubito. Cujus rei vestigia cum in narratione versuum 714—750 minus clara appareant, in mortis descriptione cum in Metamor-

phosibus tum in arte aperta sunt. Nuntium de conjuge Auram vocante Procridi in Arte affert „aliquis,“ in Metamorphosibus „nescio quis.“ Eodem modo pronomine indefinito utitur de Mercurio (Art. II, 585 et Met. IV, 187) et de eo qui Daedalum et Icarum volantes spectat (Art. II, 77 et Met. VIII, 217). In altera narratione poetam (Hom. Od. VIII, 338) eum secutum esse constat, in altera veri simillimum est. Videtur igitur pro certis Graeci poetae personis ludendo quasi pronomen indefinitum posuisse atque etiam hoc loco idem eum fecisse puto. Praeterea similitudines inter Metamorphoseon et Artis narrationem intercedunt haud exiguae. Conferantur versus Met. 831 cum Art. 701, Met. 813—815 cum Art. 697—698, Met. 825—827 cum Art. 702—707, Met. 843 cum Art. 737. Sed tamen in hac fabula cognoscas quam libere varieque Ovidius idem carmen Graecum in usum suum vocaverit. Unum discrimen majus est, quod in Metamorphosibus Procris Cephali voce audita suspicionem retinet, in arte mittit, eaque de causa pugnantia exclamat. Puto eum in Metamorphosibus paulum discessisse ab auctore suo, ut sententiam nancisceretur nitidam et lepidam, qualis est in versibus 852—856.

Num eam quoque fabulae partem, quae cum Antonini narratione convenit, ex poeta sumpserit, non liquet. Certe conjunctio fabulae de Aurora cum illa de Procride ad poetam aliquem revocanda est. Sed ex poeta scriptor quidam pedestri oratione eam repetere potuit, ut fortasse Ister fecit, quem de hac re egisse ex Hygino (poet. astr. II, 35) patet. Sane Robertus (Eratosthenis Catasterismorum fragmenta, p. 230, A) propter solas fabulas de Procride et de Corvo (Ov. Met. II, 531—632) Istrum ab Ovidio adhibitum esse existimat. Sed quidni et Istrum et Ovidium et Antoninum ex eodem poeta hausisse putemus? Videmus certi quid statui non posse. Optime certe se gessit Ovidius, cum et de fide Procridis tentata Pherecydis formam sequeretur, non Antonini, et turpia illa Cretica Procridisque ultionem minus dignam versibus 687 et 751 indicaret tantum. Nicandrum hanc fabulam non in *Ἑτεροιουμένοις* narrasse, sed in carmine aliquo *Κυνηγετικῶν* Schneiderus (Nicandrea p. 125) recte judicavit certisque probavit argumentis, quidquid contra eum disputat Robertus (p. 250). De Sophoclis Procride omnia dubia sunt.

Narrationem de Echo juvenem aliquem amante et cum spreta esset in saxum vocemque extenuata aut ab Ovidio inventam aut ab eo primo cum Narcissi fabula conjunctam esse Hauptius (ad Met. III, 339) judicat. Atqui Ovidius quamvis libere in narrationibus variandis et cum alienis miscendis se gesserit, nusquam tamen de persona aliqua quae ex historia fabulari nota erat, prorsus nova et inaudita in medium protulit. Sed licet fecerit aliquando, certe tum id potissimum egit, ut fabularum conexum quam optimum nancisceretur. Cum autem versus 402 sq. sq. transitum satis rudem et Ovidio paene insolitum faciant, narrationes de Narcisso et de Echo ante Ovidium non cohaesisse nullo modo licet statuere. Neque id probabile est, fabulam de Echo Narcissum amante alicubi traditam ab Ovidio cum narratione de morte Narcissi conjunctam esse, additis etiam ad hanc Echus querelis. Neque enim usquam Narcissi mentio est nisi morientis. Restat ut Ovidii narrationem integram ex eodem fonte sumptam esse statuamus. Varias certe fabulas de causa insani sui ipsius amoris exstitisse apparet ex docta collectione Welckeri (Alte Denkmäler IV, p. 164 sq. sq.) Jam et totius descriptionis habitus, quamquam non pauca Ovidiana insunt, tam subtilis et elegans est, ut valde sapiat poetam Alexandrinum neque eum malum, et transitus ille minus artificiosus Graecis poetis, qui in his rebus minus momenti et artis collocabant, haud indignus, verum etiam proprius quasi est. Sin quis miratur Echo in saxum mutatam amorem tamen retinuisse et extrema Narcissi verba queribundam repetiisse, is existimet mutationem Echus ab Ovidio aliunde additam esse.

Ex hac disputatione primum de via ac ratione, quam in fontibus Graecis adhibendis Ovidius secutus sit, haec fere cognoscimus. De gravissimis fabulae momentis, de personis, de locis, nunquam ab iis, quae tradita invenerat, discessit (cf. O. Mueller, Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie, p. 92), verum in his rebus stabilibus in usum suum adhibendis summa versatus et libertate et arte. Res minoris momenti cum ei non placerent, omisit vel brevissime tantum indicavit, alias auxit atque dilatavit; personarum naturam moresque praecipue cum ex tragoedia hauriebat liberrime mutavit; ex compluribus auctoribus quae ingenio suo apta esse videbantur, in unum conflavit neque curavit,

ne hoc modo summa fabulae sui ipsius dissimilis evaderet; denique colores poeticos aut ex ingenio suo novavit aut ex quolibet alio carmine vel Graeco vel Latino mutuatus est. Quae cum faceret id potissimum egit, ut aut facilem fabularum conjunctionem aut lumina orationis sententiasque splendidas atque facetas, aut affectus quam vehementissimos, aut controversias rhetoricas ad artem in utramque partem disputandi exercendam aptas nancisceretur.

Deinde de ipsis fontibus cognoscimus Ovidium poesis Graecae scientia accuratissima praeditum in plurimis fabulis narrandis poetarum Graecorum cum tragicorum tum elegiacorum carmina aut praesto habuisse aut memoriter adhibuisse. Quo efficitur, eum non commentariis pedestri sermone scriptis usum esse, qui fabulas minus reconditas tantum aut tragoediis potissimum excultas continuerint, quales Asclepiadae tragodumena fuerunt et Hygini fabulae sunt. Neque vero Istri volumina ampla minimeque venusta eum evolvisse puto, ut num quae transformatio in iis narraretur indagaret.

Picturarum Minervae et Arachnes descriptio (VI, 85—128) ex sylloge quadam Hygini fabulis 224—277 simili sumpta esse alicui fortasse videatur. Sed alterius certe generis magna pars notissima erat, atque omnino Ovidius ingeniosum se praestitit in fabulis ejusdem generis quam plurimis undique conquirendis. Tales exercitationes in scholis sine dubio fiebant. Fortasse etiam poeta Graecus in Arachnes fabulam partem earum inseruit, Ovidius numerum auxit. Certe Iphimedeam Aloidum matrem, non Tyro a Neptuno in Enipei fluminis formam verso deceptam esse ex prava memoria videtur narrare. Fabulae autem Haemi et Rhodopes, Pygmaeae matris, Antigones, Cinyrae filiarum ex transformationum scriptore videntur esse sumptae.

Tandem venio ad eas fabulas, quarum summa in ipsa transformatione posita est, quaeque carminibus Graecis, quibus inscriptum erat „*Μεταμορφώσεις*,“ „*Ἀλλοιώσεις*,“ „*Ἑτεροιούμενα*“ primum poetice ornatae erant. De his acturus ad Nicandrum redeo, a quo profecta est tota mea disputatio. De quo poeta duplex datur iudicium: aut ex ipso sumpsisse Ovidium necesse est quae cum eo communia habet, aut ex *μεταμορφώσεων συναγωγῇ* pedestri oratione scripta, quae partem certe fabularum ab eo narra-

tarum eodem ordine reddiderit. Nam quae ab Antonino ex quarto Nicandri afferuntur Ἑτεροιουμένων libro fabulae, de Pieridibus (Ant. IX), de Typhoeo (Ant. XXVIII), de Ascalabo (Ant. XXIV), eaedem tres in Ovidii Metamorphosibus (V, 294 sq. sq.) artissime atque artificiosissime conjunctae exstant. Neque credibile est duos ex poetis Graecis illius aetatis doctissimis tres fabulas plane dissimiles eodem loco narravisse. Iam ineptum esset contendere Ovidium Metamorphoses scripturum ne unum quidem ex illis poematis Graecis transformationum fabulas narrantibus inspexisse, praesertim nullo auctore carmen metro heroico sibi insolito scripsisse. Itaque nemo dubitaret quin Nicandri illorum poetarum notissimi Ἑτεροιουμένοις usus sit, nisi discrepantiae inter eorum narrationes majores viderentur; quae unde ortae sint, facilius videtur esse intellectu, si ex sylloga aliqua Ovidium hausisse statuitur. Nam qui collegit has fabulas, aut neglegentius quae tradebantur reddere aut de suo quaedam mutare aut varias narrationes miscere potuit. Quae cum ita sint, explorandum mihi est, num re vera discrepantiae tantae sint, ut Ovidium qualem hac disputatione cognovimus, ex ipso Nicandro hausisse veri sit dissimile.

Fabulae de Pieridibus in picas mutatis ex duplici de Musarum patria quae et in Olympo et in Helicone esse putabatur memoria ortae apud alios scriptores mentio non est.

Cum apud Nicandrum quanto maiorem vim Musarum quam adversariarum cantus habuerit variis naturae miraculis doceatur, Ovidius, qui in Orphei fabula talia accuratius descripturus est, Musarum cantus praestantiam argumento utriusque carminis narrando iudicioque nymphis tradendo magis apte significat simulque optimam conjunctionem trium fabularum diversissimarum nanciscitur, quas a Nicandro minus artificiose nexas esse arbitror. Hippocrenen ungula Pegasi excitatam esse iam antea narravit, ut hanc fabulam cum illa de Perseo coniungeret. Neve crudeliores videantur deae, mulieres victae convitiis demum factis ut in aliis quoque narrationibus similibus (VI, 37; XIV, 516) mutantur, et omnes quidem in picas, genus avium loquacissimum, omissa illa ieiuna nominum enumeratione. Pierides igitur Typhoei fabulam narrant neque vero totam, sed solam deorum mutationem in Aegypto factam, ut et diis obtrectare et carminis amplitudine

pulchritudineque Musis quam plurimum cedere videantur. Itaque de hac sola nobis agendum. In universum eam narrant singulis omissis Pindarus apud Porphyrium (de abstin. III, 16), Apollodorus (I, 6, 3), Mythographus Vaticanus (I, 11). Hyginus (f. 196) et Scholia in Germanicum (p. 87 et 156 Breysig) e Nigidio de Pane mutationis deorum auctore et ipso in capram converso narrant, quae fabulae forma orta est ex coniunctione nostrae cum aliis, quae varia de diis a Pane contra Typhoeum adiutis produnt, quales apud Apollodorum (l. l.) et Eratosthenem (Catast. 27) exstant. Accuratius autem mutatio ipsa non narratur nisi a Nicandro et Ovidio, et paucis cum discrepantiis, quae tamen et ipsae facile intelleguntur. Bene enim Ovidius cum numerum deorum mutatorum minuat, nonnullos tamen qui a Nicandro omittuntur profert deos. Ac primum quidem mutari etiam Jovem, quem nominatim cum Minerva excipit Nicander, necesse est, quia Pierides Typhoeum laudibus efferendo deorum gloriae obtrectantes summum deum praeterire non possunt. Quam ob rem autem aries factus sit ex ipsis Ovidii verbis apparet. Eadem illa causa de Iunone quoque et Venere valet, pro quibus bene alii omittuntur dii, sed accedit etiam iustior. Cum enim de Marte cum pisce, de Vulcano cum vacca coniuncto alio loco nihil exstet, et in cultu Iunonis saepe vaccae imago nominatur et Venus non modo maris dea ubique colitur, sed etiam in Ovidii Fastis (II, 461) cum Cupidine Typhoeum fugiens piscibus servatur.

Tertia earum quae et in quarto Nicandri et in quinto Ovidii libro inveniuntur fabula, cuius praeterea non nisi in Nicandri Theriacis (484 Schol.) et ibi brevissime nominibusque mutatis mentio fit, cum de Cerere apud Atticum quendam aut regem aut de plebe virum deversante apud plurimos scriptores narretur, tam similiter tamque ad verbum fere congruenter ab ambobus narratur, ut dubium mihi non sit, quin Ovidius eam ex Nicandro ipso hauserit. Apparet etiam cur nomina dissimulet Ovidius. Qui cum paucis versibus post fabulam de Ascalapho narret, duo haec nomina simillima atque si Welckerum (Alte Denkmäler I, 409) sequimur, eadem in una fabularum serie adhibere non potest. Quo efficitur praeterea, Ascalaphi quidem fabulam non ex Nicandro sumptam esse. Itaque Foersteri (p. 84) opinio, in tota de Proser-

pina narratione Ovidium accurate Nicandrum secutum esse, quam de parte eius supra reieci, etiam de una certe ex mutationum fabulis refutata est. Ac ne de ceteris quidem liquet, utrum ex Nicandro an aliunde fluxerint. Fabulam de Cyane, per quem fontem Plutonem in Orcum rediisse etiam Diodorus (V, 4) narrat, mutata et Cereri raptum indicante fortasse cum in Sicilia moraretur audivit. Sed de eadem re etiam Arethusam nuntium Cereri fecisse Ovidium ipsum finxisse puto, quia iter eius per terrae cavernas optimam ad hoc praebebat occasionem. Arethusae nymphae in fontem mutatio praeterea narratur a Servio (ad Virg. Aen. III, 694) et Pausania (V, 7, 2).

Transeamus ad Ovidii librum septimum. In quo cum versibus 350—403 Medeae fuga e Thessalia Corinthum Corinthoque Athenas describatur, plurima atque varia miracula brevissime attinguntur. Ex quibus cum pars longe maxima omnino non nota sit, tria ab Antonino ex Nicandri Ἑτεροιουμένοις narrantur, et fabulae de Ctesylla et de Cycno quidem, quae sese excipiunt in Metamorphosibus, ex tertio Nicandri libro, Cerambi mutatio quae ab illis apud Ovidium compluribus fabulis interjectis distat, ex primo. Iam si discrepantias consideramus, in duabus certe fabulis non tantae sunt, ut non ex ipso Nicandro et eo solo hausisse Ovidius videatur. Alcidamae (Ant. I) quidem patriam apud Nicandrum Julidem, Carthaeam apud Ovidium esse non magni momenti est. Nam Carthaeae urbis etiam a Nicandro mentio fit, neque mirum est Ovidium non anxie fontem suum in hac breviuscula narratione inspexisse. Breviter tantum hanc fabulam tangit, quia similis est notissimae illi de Cydippe.

Narratio autem de Cycno (Ant. XII), cum apud Nicandrum multa turpia poetaque plane indigna habeat, apud Ovidium et brevissima et venustissima est nec tamen ab ipsis rebus abhorret nisi in nomine et exitu matris. Cujus dissensionis causae haud latent. Ovidius ut feminas vel nymphas maerore in aquas extenuatas esse saepe narrat, id quod ex fabulis de Cyane, de Arethusa, de Byblide, de Egeria elucet, sic etiam hic novum lacum orientem facit ex lacrimis matris ejusque nomine eam appellat. Cum autem Thyrie nomen nunquam in geographia occurrat, Hyrie saepius, levi cum mutatione ut in talibus rebus minutis minime reli-

giosus ex Thyrie Hyrien eam nominat. Fortasse etiam cum O. Muellero (Rh. Mus. II, p. 28) statuere licet, *ΘΥΡΙΑ* ex *ΟΥΡΙΑ* corruptum esse, et hanc formam fuisse Boeticam, ut *Οὐρίων*.

Aliter judicandum est de Cerambi mutatione (Ant. XXII). Qua in fabula narranda tanta dissensio est, ut Ovidium alium auctorem adhibuisse pateat. Qua de causa autem ea fabulae forma, quam Nicander praebet, non usus sit facile intelligitur. Ita enim confuse Nicander rem narrat, si modo ejus narratio ab Antonino accurate redditur, qua de re dubitare non licet, singulasque fabulae partes inter se prorsus non cohaerentes, nympharum saltationem, tempestatem a Pane praenuntiatam, convicia, denique mutationen juxta ponit, ut hac quidem fabulae forma poetam bono sensu non destitutum uti non potuisse appareat. Tamen non prorsus eam ab Ovidio neglectam esse alio loco videbimus. Minime igitur efficitur, ut haec Nicandri fabula ignota Ovidio fuisse videatur; sed cum quae ille afferebat ei non placerent, alium ejusdem fabulae formam quae casu ei nota erat in usum suum convertit.

In eadem Medeae itineris descriptione Polypemonis neptis in avem mutatae mentio brevissima fit. De hac fabula Probus (ad Virg. Georg. I, 399) agit his verbis:

„Varia est opinio harum volucrum (sc. alcyonum) originis. Itaque in altera sequitur Ovidius Nicandrum, in altera Theodorum. Putatur enim Ceyx Luciferi filius cum Alcyone Aeoli filia mutatus in has volucres. Idem refert Alyconen Scironis filiam latronis Attici Polypemonis filii, cum pater ei praeciperet ut quaereret maritum, arbitratam permissum sibi ut concumberet cum quibus vellet, ab irato patre dejectam in mare, mutatam in hanc volucrem.“ Primum quanam de causa num vere haec tradiderit Probus quidam dubitent prorsus non assequor. Deinde miror omnes fere viros doctos, ut Naekium (opusc. II, p. 79 sq. sq.), Hauptium (ad. l.), Schneiderum (p. 68), Rohdium (p. 125, A) ita de hac re disputare, quasi per se pateat fabulam de Ceycis uxore a Nicandro, de Polypemonis nepte a Theodoro narratam esse. Unus Volkmannus (de Nicandri Colophonii vita et scriptis, p. 34) aliter judicat, quia doctior sit altera fabula et hac de causa Nicandrum magis sapiat. Equidem cum ex illa Metamorphoseon parte tres

fabulas in Nicandri reliquiis exstare, de reliquis praeter illas de Peripha, quam ex ignoto scriptore Antoninus (VI) affert, et de Eumelo a Boeo narratam nihil usquam tradi videam, accuratius certe in hanc rem inquirendum esse puto.

Quam ad rem altera illa de Alcyone fabula nobis tractanda est, quam artissime cum Pelei post Phocum fratrem occisum fatis conjunctam Ovidius narrat. Peleus primum ad Ceycem Luciferi filium Trachinis regem confugit. Qui dum ei Daedalionis fratris in accipitrem mutationem et Chiones ejus filiae mortem narrat, lupus maximam gregis partem quem ex patria secum duxit, dilacerat, sed a Psamathe Phoci matre quam Peleus adorat in saxum mutatur. Deinde ad Acastum pergit ab eoque purgatur. Sequitur tum pulcherrima narratio de Ceyce et Alcyone in aves mutatis. Pelei fuga a scriptoribus Graecis vario modo narratur, imprimis a Nicandro (α'; Ant, XXXVIII), Pindaro (Nem. IV, 54; V, 25; Schol.), Apollodoro (III, 13, 1), Diodoro (IV, 72), Aristide (II, 168; Schol.), Tzetza (ad Lyc. 175; 328), de quibus uberius disputat Verheykius (ad Antonini l. l.). Apud plurimos primum ad Eurytionem vel Eurytum Phthiae regem se confert qui aliis Actoris aliis Iri filius aliis Iri filius Actoris nepos est, ibique expiatur; apud Diodorum et Eustathium (ad Il. II, 684) ad ipsum Actorem fugit. Eurytione praeter voluntatem interfecto ad Acastum Jolci regem fugit iterumque purgatur. Deinde ab uxore ejus Hippolyte sive Astydamia accusatus ab Acasto sine armis dormiens in montibus deseritur, sed a Chirone servatus Acasto interfecto regno potitur. Postea Thetidem in matrimonium ducit. Lupi in saxum mutatio a Nicandro, qui praeter Ovidium solus hanc fabulam servat, apud Irum Eurytionis interfecti patrem Phthiae regem facta esse traditur, ad quem Peleus sese expiandi causa greges duxerat; lapidem illum per longum tempus inter Phocidem et Locridem visum esse.

His praemissis quid efficiatur videamus. Primum mihi persuasum est Ovidium fabulas de Ceyce et de Peleo apud auctorem suum conjunctas reperisse. Neque enim Ovidius quamquam saepius duos vel plures viros qui apud ceteros minime conjuncti sunt, inter se colloquentes facit, ita ut sua quisque fata narret, tamen ut supra (p. 27) statui unquam ea quae a scriptoribus Graecis

traduntur, adeo libere mutat, ut nullo auctore miraculum aliquod, qualis hoc loco lupi transformatio est, in alia regione et apud alios homines ac proditum est factum esse narret. Quae opinio ex dissensione scriptorum de eo rege, ad quem Peleus primum confugerit, etiam probabilior fit. Neque illud neglegendum est, quod a Nicandro greges prope Phthiam pastos esse, saxum autem inter Phocidem et Locridem exstitisse traditur, cujus quidem regionis Trachis urbs, quae postea Heraclea vocata est, proxima fuit. Qua re veri simillimum mihi videtur apud antiquiores lupi transformationem non cum Eurytionis, sed cum Ceycis fatis conjunctam fuisse, Ovidium igitur cum eam narraret Nicandrum non esse secutum. Accedit quod fabula de Ceyce et Alcyone in aves mutatis ab Hygino (fab. 65) eodem modo narratur atque ab Ovidio. Hyginus autem nullam praeterea fabulam e Nicandri *Ἑτεροιουμένοις* notam habet. Quibus de causis satis patere puto viros doctos praeter Volkmannum non recte de Probi loco laudato judicasse.

In mutatione Iphidis ex femina in marem enarranda Ovidium (IX, 666—797) fabulam de Leucippo, quae apud Antoninum (XVII) e Nicandri libro secundo sumpta exstat, ante oculos habuisse Magnus (Berliner Zeitschrift für das Gymnasialwesen, Jahrgang 1879, Band XXXIII, p. 307) ex summa in singulis versibus similitudine probat. Comparentur imprimis Ovidii versus 671—679 cum Antonini verbis:

„*Ἀνδρὶ τὰ μὲν εἰς γένος εὖ ἔχοντι, βίου δ' ἐνδεεῖ. οὗτος, ἐπειδὴ ἐγκύμων ἦν ἡ Γαλάτεια, ηὔξατο μὲν ἄῤῥενα γενέσθαι αὐτῷ παῖδα, προηγόρευσε δὲ τῇ γυναικὶ, ἐὰν γεννήσῃ κόρην, ἀφανίσαι.*"

Idem vir doctus Iphidis nomen Leucippi locum obtinuisse quod generis communis esset recte iudicat, sed qua de causa parentum nomina ex Lampro et Galatea in Ligdum et Telethusam mutata sint, se non intelligere fatetur. Equidem puto non placuisse Ovidio in una fabula a duobus poetis narrata duo nomina convenire, unum plane differre, eaque de causa parentum quoque nomina mutata esse, ut quasi alia fabula esse videatur. Numerus certe rhythmicus horum nominum servatus est. Eadem de causa in narratione de iuvene Cyprio propter spretum amorem mortem sibi consciscente (p. 15), non solum Nicocreontis et Arsinoes, sed etiam Arceophontis nomen mutavit. Ceteras vero discrepantias

item Ovidii ingenio tribuendas esse iam docebo. Optime atque pulcherrime amorem inter Iphidem et Ianthen huic narrationi inseruit; qua inventione non solum matris et filiae condicionem afflictam auxiliique gravitatem, quae res apud Nicandrum minus clarae existunt, more suo mirum quantum auxit, sed etiam aptissimam habuit occasionem genio suo vel maxime indulgendi in nova vetiti amoris specie summa contentione arteque rhetorica explicanda, ut in fabulis de Medea, de Scylla, de Byblide, de Myrrha fecit. Nec minus eleganter apud Ovidium eadem dea feminam parituram adhortatur, ne filiam necet, quae postea mutationis auctor est, cum apud Nicandrum somniis et auguriis consilium eius firmetur. Hanc autem deam Isidem, non Latonam fuisse Ovidius finxit, quod huius deae partus levandi peritae cultus iis temporibus maxime florebat apud Romanos. Similes autem illas transformationes quas Nicander Galateae precibus inseruit, alio loco Ovidius narravit aut tetigit, de Tiresia (III, 314, 338), de Caeneo (XII, 169—209), de Mestra (VIII, 738—878), de Sithone, quam fabulam eandem esse atque Siproetae puto, cum inter medias Creticas fabulas narretur (IV, 279—280). Mestrae autem ex femina in virum mutatio fortasse ex Nicandro reliquae narrationi aliunde sumptae inserta est; nam et Tzetzes (ad Lyc. 1393) et Palaephatus (XXIV) in animalium formas tantum illam se mutasse produnt. Ceterae differentiae quae inter Ovidii et Nicandri narrationem intercedunt, omnes ex illius ingenio ortae sunt ad venustatem fabulae augendam, non ex alieno fonte. Initii vero narrationum similitudine doceri videmur, ex Nicandro ipso Ovidium hausisse, non ex epitome eius pedestri sermone scripta.

Idem de Galanthidis mutatione iudico. Fabula praeter Ovidium (IX, 281—321) et Nicandrum (δ'; Ant. XXIX) narratur a Libanio (narr. III), Pausania (IX, 11, 3), Aeliano (Hist. nat. XII, 5). Puella apud Nicandrum est Galinthias Proeti filia, apud Libanium Acalanthis, apud Pausaniam Historis Tiresiae filia, ab Aeliano nomen non traditur. De transformatione nihil exstat apud Pausaniam. Partum cohibuisse a Nicandro Lucina et Parcae, ab Ovidio sola Lucina, a Libanio ipsa Iuno, a Pausania Pharmacides mulieres produntur. Levium inter Nicandrum et Ovidium discrepantiarum causae in aperto sunt. Etenim cum Lucinae

Parcas a quibus adiuvetur addi et una cum illa ad aram sedentes et genua manibus tenentes partum cohibere sane non solum supervacaneum, verum etiam ridiculum sit, optime ab ipsa puerpera in summis doloribus praeter eam etiam alii adorantur dii partus levandi periti quales apud Romanos Nixi erant. Scite etiam mustelae natura strenua atque mobilis iam in puella significatur, quae non amica sed strenua ministra Alcmenes est „dumque exit et intrat saepe fores, divam residentem videt in ara.“ Quaedam turpius a Nicandro narrata brevissime tantum tanguntur. Ceterum minutissimae eiusmodi nominum versus causa interdum mutatorum differentiae, qualis inter Galanthidem et Galinthiadem intercedit, rationem non iam habebo.

In fabula de iuvene Messapio (Ov. XIV, 512—526; Nic. β'; Ant. XXXI) a nymphis in arborem mutato de qua alibi nihil proditur, narranda Ovidius longam illam Nicandri disputationem de viris Graecis in Italiam inferiorem migrantibus praetermittit, sed tamen illam ante oculos eum habuisse ex Peucetiorum Messapiorumque nominibus quae ad rem nihil faciunt allatis patet. Ipsius fabulae habitum ea re gravissime mutavit, ut cum de transformationibus ob certamina cum validioribus temere instituta factis saepius iam egisset, in fabulis de Pieridibus, de Arachne, de Pane, de Marsya certamen inter pastores et nymphas omitteret, certe verbis: „saltuque imitatus agresti“ admodum obscure significaret. Quo factum est ut cum alia causa transmutationis quaerenda esset, convicia in nymphas facta ex alia illa Nicandri fabula simillima de Cerambo huc transferret, quam in ipsa Cerambi transformatione non adhibuit. Eadem fabula ei obversatur cum de uno tantum pastore narrat, et cum Panis mentionem facit, cuius cum ipsa re nullus est nexus. Ob convicia autem quae fecit in oleastrum mutatur, bacas amaras ferentem.

Liberius poeta versatus est in fabula de Minyae filiabus (IV, 1—415) ingenio suo accommodanda, sed ne in hac quidem unquam temere ab iis quae tradita erant discessit. Nicander (δ'; Ant. X), Aelianus (Var. hist. III, 42), Plutarchus (Quaest. Graec. 28) in universum eandem huius narrationis formam sequuntur sine dubio a Corinna, quae ab Antonino una cum Nicandro laudatur, repetitam, nisi quod Nicander, ut non est optimo

sensu poetico, inepte Liberum deum in varias formas se mutandi facultatem ostentantem coram puellis facit — tales mutationes aptissime ab Ovidio adhibentur in fabulis de Acheloo, Mestra, Periclymeno, Vertumno, Thetide —; Aelianus causam sacrorum spretorum amorem erga coniuges fuisse dicit, Plutarchus qui tantum de puero dilacerato narrat, insanam carnis humanae cupiditatem mulieribus iniicit. Ovidius longe aliter rem narrat et ubique multo venustius. Sacerdos bene omnes mulieres ad Bacchum celebrandum convocat, ut culpa sororum augeatur, ut in fabulis de Pentheo, de Niobe; Thebis, non Orchomeni habitant, ut cum praecedentibus apta coniunctio fiat; miracula quibus terrentur optime electa sunt, ut tibiarum tympanorumque sonitus aures, unguentorum odor nasum, plantae in tela orientes splendorque rutilus oculos moveant. Ferarum simulacra ex libro tertio (v. 668) huc translata sunt. Iam apud scriptores Graecos mulieres timore vel insania vel cupiditate carnis humanae correptae puerum dilacerant, in montibus bacchantur et tum demum in noctuas varias mutantur. Ovidio nec subitus furor earum quae antea pertinaciter Bacchum celebrare recusarant, nec mutatio post furorem satis placuit, certe a Nicandro hae res fortasse non satis causis probatae erant. Quam ob rem simul cum prodigiis illis mutatio poenae instar fit, et ea in vespertiliones, quae optime congruat cum reliqua narratione.

Difficile est de Batti fabula (II, 676—707) certi quid statuere. De bubus Apollinis a Mercurio furto abactis accurate narrant Hymnus Homericus in Mercurium et Apollodorus (III, 10, 2), breviter Philostratus (im. I, 26) et Scholia in Homeri Iliadem (XXIV, 24). Fabulam de Batto propter perfidiam in saxum mutato praeter Ovidium unus servat Antoninus (XXIII), cuius narrationi ita inscriptum est: „*Βάττος. ἱστορεῖ Νίκανδρος Ἑτεροιουμένων α' καὶ Ἡσίοδος ἐν Μεγάλαις Ἠοίαις καὶ Διδύμαρχος Μεταμορφώσεων γ' καὶ Ἀντίγονος ἐν τοῖς Ἀλλοιώσεσι καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν Ἐπιγράμμασιν, ὥς φησι Πάμφιλος ἐν α'.*“

De quibus verbis quomodo iudicandum sit haud latere mihi videtur. Etenim cum is qui Antonini narrationibus auctorum quos ille sequeretur nomina addidit, sexies tantum duos laudet

auctores, nunquam plures, neque vero Didymarchum Antigonumve usquam memoret, etiam horum scriptorum mentionem ex Pamphilo fluxisse arbitror. De Hesiodo non idem affirmaverim, sed eum Antonini auctorem in hac fabula fuisse per se veri simile non est. Itaque in hac fabula ut in ceteris Antoninus arte sequitur Nicandrum; quae opinio confirmatur accurata et longa descriptione amoris Apollinis, rationis in furto adhibitae, itineris, quae optime Nicandri ingenio respondeat. Discrepantiae quae inter Ovidium et Nicandrum intercedunt maxima ex parte tales sunt, ut de suo Ovidium Nicandri narrationem mutasse statuere liceat. Quod utraque merces quam Mercurius boves rapiens Batto boum pastori pollicetur, vacca est, quod se ut lapidem taciturum esse Battus iurat, quod idem praemio demum geminato de furto indicium facit, omnia haec quominus ab Ovidio ipso inventa esse ad narrationem ornandam putemus nihil nos impedit. Iam in silvis, non in antro gregem abditum Ovidius ideo fortasse finxit, quod cum speluncam permagnam, de qua egit O. Muellerus (Gerhard hyp. roem. Stud. p. 310 sq. sq.) in litore prope Pylum sitam esse nesciret, antrum non idoneum esse ad maiores greges capiendos crederet. Sola scrupulum movet locorum in quibus furtum collocatur differentia. Quod cum apud Homerum, Apollodorum, Philostratum in Pieria prope Olympum, apud Nicandrum, qui hanc fabulam cum illa de Apolline Admeti greges pascente confundit, in Magnesia fiat, ab Ovidio in Messenia collocatur. Sane etiam Philostratus boves in eadem regione occultas atque raptas esse narrat, sed is cum imaginem se describere dicat, ita facere coactus est. Nescio an contra omnium auctoritatem Ovidium ea quae Nicander tradiderat, mutasse veri dissimile sit. Fortasse Ovidius alicubi traditum reperit de Apolline in Elide boves pascente idque in usum suum arripuit, ut et itineris descriptionem omittere et aptam cum antecedentibus conjunctionem facere posset, in ceteris autem Nicandrum secutus est.

Altius aliquanto mihi repetenda est tractatio fabulae de Adonide, quae et in sacris et in poesi apud veteres celeberrima fuit. De qua cum plurimi viri docti ita iudicaverint, ut et Veneris et Adonidis cultum ex Oriente in Cyprum et inde in Europam profectum esse contenderent, primus Engelius, qui de hac fabula

uberrime agit, coniecit (Cypros I, 477; II, 67; 571; 618) Cyprum quamquam antiquissimis temporibus a Phoenicibus occupata ex Oriente deos accepisset, tamen cum a Graecis incoli coepta esset, antiquum cultum cum alienis usque adeo coniunxisse atque commutasse, ut nihil nisi exiguae reliquiae remanerent. Atque ex Adonidis quidem cultu solum nomen (Engel II, 67) ex Asia translatum esse, cetera partim ex Graecia, ubi fabulae Lini, quamquam et hanc e Phoenice in Graeciam transiisse Prellerus (Griechische Mythologie I, p. 377) et Brugschius (Die Adonisklage und das Linoslied, Berlin 1852) opinantur, et Hyacinthi simillimae essent, maxima autem ex parte e Phrygia orta, cum inter Venerem et Adonidem eadem fere intercederet ratio atque inter Cybelen et Attin (II, 618; Maury, Réligions de la Grèce III, p. 195). Paulo plura ex iis quae apud veteres de Adonide narrabantur, ex Asia in Cyprum translata esse Grevius putat (De Adonide), sed etiam hic addit iam antiquissimis temporibus fabulam a Cypriis valde mutatam esse (p. 4; 30). Posterioribus autem temporibus Adonidis cultum paulatim in proximas continentis terras translatum esse Engelius putat (II, 597 sq. sq.), in Ciliciam et Syriam, et imprimis Bybli in urbe Syriae firmatum atque auctum esse. Haec utut se habent, tantum patet fabulas Adonidis in Cypro alias exstitisse atque in Asia. Atque in Cinyra quidem nihil nisi nomen Phoenicium est, natura eius eadem est atque omnium heroum Graecorum, in fabulis quae de eo narrantur omnia Graeca sunt (Engel I, 203). Iam cum Cinyras et Cypri insulae heros atque primus rex et Veneris summus sacerdos haberetur, Adonis autem in Cypro vel maxime celebraretur et cum Venere artissime coniungeretur, mox factum est, ut Adonis Cinyrae filius esse putaretur (Greve p. 7). De Cinyra antiquissimo et illustrissimo Cypri rege Venerisque sacerdote plurimi antiquitatis scriptores tradunt, atque etiam de Adonide Cyprio multa maximeque varia narrantur. Apud Philostephanum Cyrenaeum in Probi ad Vergilium annotationibus (Ecl. X, 18) nondum filius Cinyrae, sed ipsius Iovis est sine ullius feminae accubitu procreatus. Ad eundem Vergilii locum altera adnotatio exstat in Servii commentario quae admodum miram praebet narrationem. Secundum hanc Adonis Cyprius adolescens Erinomam sive Erittomam ex gente

Epiviostasterii et Yonis fratrum, qui ex Aegypto in Cyprum venerant, ortam a Iunone et Venere incitatus violat, deinde in montes fugit et postquam cum apro vel ipso Marte feliciter pugnavit Iovis fulmine necatur. Postea a Mercurio Veneris precibus moto ad suos reducitur et in lucis patriis vitam degit. In eodem commentario (ad Ecl. VIII, 37) in Meli cuiusdam in Delo insula orti historia Adonidis Cinyrae Cypri regis filii a Venere amati et postea apri ictu exstincti mentio fit.

De Adonide Asiatico egerunt imprimis Panyasis apud Apollodorum (III, 14, 4), deinde Antimachus apud Probum (ad Verg. Ecl. X, 18), Lycophron (829; Schol.), Clitarchus apud Stobaeum (flor. 64, 36), Antoninus Liberalis (XXXIV) ex incerto, Oppianus (Hal. III, 403; Schol.). Omnibus his pater eius Theias sive Thoas sive Choas, quod idem nomen esse apparet, mater si modo mentio eius fit, Myrrha sive Smyrna est. Addunt plerique narrationem de amore scelerato Myrrhae in patrem, Panyasis praeterea fabulam de Adonide tertiam anni partem apud Proserpinam, reliquum tempus apud Venerem degente. Engelius (II, 568) putat Panyasidem ut qui fabulis immutandis et cum alienis miscendis delectaretur, primum fabulam de Myrrha Theiantis filia Adonidis matre, quae in Cypro jam longo tempore ante nota fuisset, in Asiam transtulisse. Sed ubinam traditur aliquid de Adonide Cyprio ex Myrrha orto? Certe in adnotatione ad Vergilii Eclogas (X, 18) in Servii commentario servata, quae cum in praecipuis Servii codicibus non exstet, ab eo non profecta, sed longe fortasse post eum scripta est, et apud Suidam ex Xenophontis alicujus Cypriacis, qui scriptor quando vixerit ignotum est. Praeterea in summa de Adonide in Cypro nato fabularum varietate nihil de Myrrha matre ejus traditur. Neque vero Theiantis quem aeque ac Cinyram antiquum Cypri regem fuisse Engelius (I, 209; II, 122; 568) contendit, nomen in historia Cypri fabulari usquam occurrit nisi in extremae antiquitatis lexicis (Etym. M. 176, 36; Suid.), quo tempore iam omnes hae fabulae confunduntur. Sane in Scholiis ad Iliadem (VII, 20) in codice Vaticano Theias Cinyrae Cypri regis pater nominatur, sed ceteri codices Biantis nomen habent. Quibus de causis in hac re cum Engelio non consentio, sed Bybli potissimum fabulam de Myrrha, cujus primordia utrum una cum uni-

verso Adonidis cultu ex Cypro translata an in ipsa Syria orta sint, dijudicare nolo, accuratius certe conformatam atque in eam quam nos habemus formam redactam esse et inde in Graecorum notitiam pervenisse existimo. Quae opinio Antonini narratione ex qua Beli filius fuit Theias, firmatur. Panyasis igitur Asiaticam fabulam de Myrrha Adonidis matre cum Graeca de certamine inter Proserpinam et Venerem coniunxit, ut recte iudicasse videatur Engelius (II, 568), Panyasidem Graecas fabulas Asiaticis et Aegyptiis addendis amplificasse. Sed prorsus falso ex hac re colligit, eum primum illam fabulam in Asia posuisse, posteriores autem omnes ex eo hausisse. Neque enim quisquam ex iis qui similiter fabulam narrant de Proserpinae in Adonidem amore tradit, qua ex re elucet alios praeter Panyasidem fontes eos habuisse, in quibus sola Asiatica fabula narrata erat. Mox autem postquam confusis Cypriacis et Syriis de Adonide fabulis etiam Cinyrae patris eius regnum in Ciliciam et Syriam translatum est, in recentioribus narrationibus Cinyras non solum Assyriae rex fuisse (Bion I, 24; Hyg. 58; 242, ubi tamen Paphi filius est) et in Libano monte Veneri templum aedificasse (Lucian. de de. Syr. 9), verum etiam Theiantis partibus susceptis Myrrhae pater fuisse traditur (Theodorus; Joseph. 19, 1, 13; Schol. Theocr. I, 107; Serv. ad Verg. Aen. V, 72). Quo modo factum sit, ut Cinyras et Cypri et Ciliciae et Syriae rex proderetur, genealogia ab Apollodoro (III, 14, 3) allata monstrare studet, secundum quam eius regnum non ex Cypro in Ciliciam et Syriam, sed vice versa ex Syria in Ciliciam et Cyprum propagatum est, ut mos erat Graecis majores suos ex oriente natos fingere.

Ex omnibus quae de Adonide traduntur fabulis cum amor inter eum et Venerem tum mors eius et in sacris longe principem tenent locum (Theocr. Id. XV; Lucian. de de. Syr. 6) et saepissime a scriptoribus poetisque celebrantur, ut a Sappho, a Praxilla. Qui cum in singulis interdum differant, in eo tamen omnes sive in Cypro sive in Syria rem ponunt consentiunt, ut ab apro, in quem apud nonnullos ipse Mars se transformaverat, occisum eum esse narrent. At fabulae de Adonidis sive Veneris cruore sive lacrimis in anemonen sive rosam mutatis natura talis est ut ab Alexandrinis qui dicuntur poetis inventa esse videatur. Haec

fabula quamquam summa cum varietate a singulis scriptoribus narratur, nusquam tamen cum fabula de Myrrha coniuncta est si Nonnum qui nova et inaudita de hac re miscet et Nicephorum extremae antiquitatis rhetorem negligimus. Ex Adonidis sanguine anemonen ortam esse praeter Ovidium perhibent Nicander apud Scholiastam ad Theocritum (V, 92), et Servius (ad Verg. Aen. V, 72). Illum in Ἑτεροιουμένοις de Myrrha non egisse ex eo apparet, quod ad Antonini Liberalis narrationem non additur Nicandrum quoque hanc fabulam narrasse. Is autem qui adnotationem illam ad Vergilii Aeneidem quae in Servii commentario servata est scripsit, cum in parte narrationis suae eam fabulae formam, quae in eodem commentario ad Eclogas (X, 18) exstat in parte eam quam Fulgentius (III, 8) praebet, sequeretur, sanguinis in florem mutationem ex fonte ab utroque illo alieno hausit. Apud Bionem (I, 72) Adonidis sanguis in rosam, Veneris lacrimae in anemonen vertuntur. Altero Servii loco laudato ipsum Adonidem Veneris miseratione in rosam conversum a multis traditum esse narratur. Colorem rosae Veneris sanguine ex albo rubrum factum esse Aphthonius (progymn. II) perhibet, cui narrationi Tzetzes (ad Lyc. 831) anemones quoque mutationen Adonidis cruore effectam adiicit. Rosam et anemonen iam pridem in Adonidis et Veneris cultu locum obtinuisse Pausanias (VI, 24, 6) et Philostratus (ep. IV) docent. Ex qua re poetae qui de formis in nova corpora mutatis egerunt varias illas transformationum fabulas finxerunt.

Iam si ad ipsam Ovidii narrationem (X, 298—739) accedimus, duos saltem fontes eum habuisse statim videmus. Nam cum et Cinyras Paphi Cypri insulae regis filius sit et Adonis in Cypro exstinguatur, si modo recte interpretor verba (717—18):

„Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Chytron olorinis nondum pervenerat alis,“

Myrrhae et amor et mutatio subito in Arabia ponuntur. Atque in posteriori quidem narrationis parte, in qua de Adonidis morte agitur, et in genealogia Cinyrae Ovidium Nicandro usum esse auctore persuasum habeo. Nam non modo sola Nicandri narratio plane congruit cum Ovidio, cum tanta sit in hac fabula varietas, sed etiam versus 725—727 Nicandri naturae atque rationi vel maxime conveniunt.

Restat ut videamus unde fabulam de Myrrha sumpserit poeta noster. Sed ne omnes quidem in quibus uberius haec fabula tractatur narrationes quales exstant apud Apollodorum, Plutarchum (Parall. min. 22), Stobaeum (flor. 64, 34), Antoninum, Hyginum, Servium, Fulgentium, in Scholiis ad Lycophronem, Theocritum, Oppianum, Statium (Theb. 507) cum Ovidio conferentes quidquam efficimus, cum nulla prorsus ex iis talem in ulla re praebeat similitudinem cum Ovidii narratione, ut propius quam ceterae ad eam accedere videatur. Nam Myrrhae mortem sibi consciscendi conatum ab Ovidio ut insaniae magnitudo augeretur, primo inventum esse et ex ipso in Hygini fabulas transiisse puto. Reliquum igitur nobis est ut videamus, num ii qui ante Ovidii aetatem hanc fabulam tractarunt fortasse ab eo adhibiti esse possint. Quod statim negandum est de Panyaside quem ab Ovidio lectum esse veri simile non est. Nec magis eo, ex quo Antoninus hausit, auctore usus est; nam is narrationem de partu admodum dissimilem praebet fortasse ex tragoedia aliqua sumptam. Tractatam esse hanc fabulam in tragoediis ex Athenaeo (IX, 401), qui e Dionysii tyranni tragoedia tres versus affert, et Iosepho (XIX, 1, 13) elucet. Cinnae vero carmen Ovidium in usum suum convertisse probabile non est, cum diversa atque contraria esset harum poetarum natura, quorum alter obscurissimus (Philargyrius ad Verg. Ecl. IX, 35) atque illepidissimus (Gellius XIX, 9, 7), alter ingeniosissimus (Seneca quaest. nat. III, 27, 13) esset. Confer praeterea quae ubi de Ius fabula egi, de poëtarum Latinorum apud Ovidium usu disserui (p. 23). Restat solus Theodorus, cuius narrationis argumentum quod in breve spatium coactum a Plutarcho (Parall. min. 22) et Stobaeo (flor. 64, 34) affertur, nihil habet quod cum Ovidii narratione pugnet. Etenim iram Veneris, pro qua scite Ovidius Erinyum afflatum finxit, iam apud auctorem quem secutus est insaniae causam fuisse patet ex versu 524. Nam quam potuit ulcisci nisi quae taetram libidinem matri inflaverat! Sed cum plures quam ii de quibus nobis constat, ante Ovidii aetatem Myrrhae amorem in poematis tractasse veri simillimum sit, certi quid de fonte quem Ovidius in priori fabulae de Adonide parte secutus sit, investigare non possumus.

Similiter se gessit Ovidius in narratione de Meleagro. De

qua cum Kekuleus (De fabula Meleagrea, Berolini 1861) et Surberus (Die Meleagersage, Zürich 1880) diligentissime et uberrime disputaverint, paucis hoc loco agere sufficit. Surberus (p. 109) duas huius fabulae formas potissimas exstitisse egregie docet, quarum alterius Homerus, alterius Euripides auctor sit. Illam sequitur Nicander in cuncta fere narratione, nisi quod fabulam de titione fatali, quae quamquam ab Euripide et omnibus qui eum sequuntur narratur, non ab eo inventa est, sed iam ante eum pervulgata a Phrynicho primo poetice exornata est (Paus. X, 31, 2) inepte cum sacrilegio matris, quae Homericae formae propria est, coniungit. Ovidius qui in ceteris cum Euripide consentit, sororum mutationem adiicit. Quae cum praeterea apud Sophoclem (Surber p. 20 sq. sq.) et Nicandrum, qui Homerum potissimum sequuntur, apud Hyginum (fab. 174), Statium (Theb. IV, 103), Lactantium (ad Stat. l. l.), qui ex ipso Ovidio eam hauserunt, apud Aelianum (hist. nat. IV, 42), Suidam (s. v. Μελεαγρίδες), qui de Meleagri fatis nihil addunt, denique apud Eudociam (p. 287), quae varia de hac fabula miscet, at nusquam apud eos qui Euripideam formam sequuntur, narrata sit, ex alio sine dubio auctore atque ea quae antecedunt sumpta est. Hunc autem quominus Nicandrum fuisse, statuamus nihil obstat. Omisit Ovidius Liberi operam et avium in Lerum insulam translationem, quae res ad fabulae pulchritudinem nihil prorsus facerent. Nec mirum est in ceteris Ovidium qui narrationes amatorias admodum diligebat, Nicandro neglecto Euripideam formam in qua amor Meleagri in Atalantam mortis causa est, praetulisse. Sed quaestionem utrum haec narratio ex ipso Euripide an ex alio scriptore hausta sit, cum ne Surberi quidem disputatio longissima et ad hoc ipsum instituta ad finem perduxerit, non attingam.

Accedamus ad fabulam de Cauno et Byblide. Quae quales formas apud singulos qui eam attulerunt scriptores praebeat, cum a Rohdio (p. 95,1) accurate et perspicue explicatum sit, ego praecipuas discrepantias breviter proferam. Ac primum quidem in genealogia summa dissensio est. Miletus Ovidio (IX, 440—665) Deiones filius est, Acacallidis Nicandro (β'; Ant. XXX), Ariae Etymologo Magno (s. v. Μίλητος) et Scholiastae ad Apollonium (I, 186). Uxor eius nominatur ab Ovidio Cyanee Maeandri, a

Nicandro Eidothea Euryti, a Nicaeneto (apud Parth. narr. am 11) Tragasia Celaenus, a Scholiasta in Theocritum (VII, 115) Aria. Deinde dissentiunt scriptores, utrum Caunus Byblidem amaverit, id quod Nicaenetus, Conon (narr. 2 in Phot. bibl.), Nonnus (XIII, 546), Scholia in Theocritum tradunt, an ab illa amatus sit, quam narrationem Nicander, Ovidius, Parthenius, (narr. am. 11 ex pluribus scriptoribus) habent. Ex his confessionem amoris adversus fratrem et eius fugam praetermittit Nicander. Caunus urbs apud Nicandrum Nicaenetum Parthenium Ovidium ab ipso Cauno conditur, apud Cononem ab Aegialo eius filio, quem ex Pronoe nympha procreaverat. Byblis fratrem sequitur apud Cononem et Ovidium. De extremis eius fatis varia narrantur. Apud Parthenium Cononem Scholiastam in Theocritum se suspendit, apud Nicandrum de scopulo se deiiciens a nymphis servatur et in Hamadryadem mutatur. Lacrimarum in fontem cognominem conversio additur a Nicandro, Conone et parte eorum quos Parthenius laudat scriptorum. Ipse in carmine cuius partem profert de ea non agit. Apud Ovidium et Nonnum ipsa Byblis in fontem mutatur; in Scholiis ad Theocritum fons ab ea nomen accepisse traditur, sed non additur, qua de causa hoc factum sit. De fonte prope Miletum Byblide cognominato praeterea tradit Pausanias (VII, 5, 10).

In summa hac fabularum varietate id primum cognoscitur, propius ad Ovidium accedere Nicandri et Parthenii narrationem quam eorum apud quos Caunus amore captus est, non Byblis. Sed etiam Nicander ita rem narrat, ut Ovidium in praecipua certe fabulae parte alienum auctorem habuisse pateat. Nam ut summam genealogiae differentiam praetermittam, apud Nicandrum Caunus neque comperit sororis amorem neque fugit. Alienam autem ab eo narrationem ideo Ovidius sequitur, quia sic melior cum praecedentibus conjunctio existit, porro Minos apud eum ubique optimus rex atque justissimus est, denique confessio insaniae occasionem ei dat Byblidis animi concitationem uberius exornandi. Sed tamen non prorsus Nicandri narrationem neglexit, verum in nympharum puellam excipientium et mutantium mentione, quae alibi non exstat in usum suum convertit. Nam ab eo scriptore, quem in ceteris secutus est, eam se suspendisse narratum erat, ut patet ex Artis versibus (I, 283): „laqueo fortiter ulta nefas.“ Sed de ipsa

transformatione ideo discrepantia narrat, quod saepissime de mulieribus in aquas deliquescentibus narrat, at nusquam de mulieribus in nymphas mutatis, quippe quarum natura in eius carminibus humanae proxima sit. Quoniam autem hic transitus in aquas cum conatu sese interficiendi, sive suspendio sive saltu, nullo modo conjungi potest, pulcherrime mutatio defatigatione et maerore efficitur. Reliquae narrationis auctorem poetam fuisse neque eum ignotum Romanis ex Artis loco laudato apparet. Neque enim profecto tam breviter hanc fabulam tetigisset, in poemate ad animos leviter et urbane oblectandos destinato, nisi omnibus qui legerent notam eam fore persuasum habuisset. Fortasse de Parthenio cogitandum est. Cuius in carmine, ex quo habemus aliquot versus, eo quidem non offendimur, quod lacrimarum in aquas mutatio omissa est, quam apud Nicandrum quoque invenit poeta. Sed longinquum Byblidis post fratris fugam errorem neque ex Nicandro sumpsit poeta noster neque ipse invenit, cum praeter eum Conon idem narret. Cuius erroris cum apud Parthenium mentio non sit, nec de carmine nec vero de pedestri narratione eius cogitandum est. Quidni autem tertium eandem rem tractaverit in Metamorphosibus, quas eum scripsisse post has narrationes veri simile est, et paulo aliter, cum plures de ea nosset auctores?

His rebus cognitis etiam de Dryopes fabula (Ov. IX, 324—339; Nic. α'; Ant. XXXII) facilius est iudicium. In hac narratione Nicander uberius disputat de Dryopis filia Sperchii fluvii et Polydorae Danaidis nepte nympharum amica ab Apolline in varias formas mutato compressa et de Amphisso eius filio urbes condente templa aedificante sacra instituente, addit nonnulla de mutatione Dryopes in nympham et de arbore ac fonte loco eius ortis. Ovidius sine dubio longe aliam sequitur narrationem et eam pulcherrimam et quae causa sit ut extremae querimoniae Dryopes mutatae vel maxime idoneae sint ad misericordiam movendam et mirum quantum abhorreant a ceteris Ovidii orationibus contentione rhetorica abundantibus. Apud eum Dryope Euryti filia Ioles soror Andraemonis uxor Amphissi mater quia flores loti aquaticae carpsit, in quam Lotis Priapum fugiens mutata erat, et ipsa in arborem transformatur. Sed etiam in hac narratione cum stupri ab Apolline ei illati tum nympharum mentio fit. Quae

res cum fabula non cohaerentes cum adderet Ovidius, Nicandri narratio ei obversata esse videtur, sicut in narratione de Byblide factum vidimus. Eiusmodi res leviores ex poeta aliquo saepius Ovidio in mentem venisse, cum cetera ex alio narraret fonte, vidimus exempli causa in fabulis de Iphide et Anaxarete (p. 15), de Hyacintho (17).

Atque etiam in fabula de Orionis filiabus narranda Ovidium (XIII, 684—700) auctorem a Nicandro (δ'; Ant. XXV) alienum habuisse praecipue ex eo patet, quod ex cineribus puellarum crematarum non sidera, sed iuvenes exeunt. Iam cum fabula Orionis ex earum numero sit, quae ex ipsa stellarum contemplatione ortae sunt neque ab ea seiungi possunt, (cf. O. Mueller, Rh. Mus. II, p. 26 sq. sq.; Robert Catast. p. 244 sq. sq.) antiquiores quidem scriptores de Orionis filiabus in iuvenes, non in stellas mutatis agere non potuisse apparet. Ex eo autem quod Nicander postquam fabulam de Orionis Hyriei filii filiabus in Boeotia post mortem in sidera receptis narravit, addit quaedam de sacris in honorem earum Orchomeni, qua in urbe Orionem vixisse alibi non traditum est, institutis, Metioches et Menippes mortem voluntariam primo Orchomeni seorsum celebratam fuisse colligo, posterioribus deinde temporibus, fortasse a Corinna, quae Orione laudibus efferendo delectaretur (Schol. Nic. Ther. 15) eas Orionis filias factas et hanc ob causam in sidera translatas esse. Fortasse recte O. Muellerus (l. l. p. 27), eo tempore cometas prope Orionem visos fuisse. Quae si recte conieci, narratio de iuvenibus Coronis ex cinere ortis ad antiquiorem fabulae formam sine dubio pertinet. Ovidius autem cum fabulam in cratere caelatam fingeret, mutationem in stellas, quam Nicander praebet, in usum suum convertere non potuit et ob id alteram formam secutus est. Eandem ob causam apud eum et Thebis res geritur, quae urbs portarum numero cognoscatur, et diverso modo utraque soror vitam finit. Num poetae re vera imago vel caelata vel picta obversata sit, iudicare nolo, sed propter discrepantiam extremo loco commemoratam veri dissimile non est. Series tum fuit trium vel quatuor imaginum.

Restat ut proferam quid de Cragalei in saxum mutatione iudicem, quae a Nicandro in primo libro narratur (Ant. IV), ab

Ovidio in tertio decimo (712—714) brevissime attingitur, et tamen ita, ut eam aliunde praeterea ei notam fuisse appareat. Puto ita se rem habere. Postquam Apollo Actius Octaviani victoria Romae celeberrimus factus est, etiam variae de eo narrationes in Epiro et Acarnania vulgatae innotuerunt, praecipue fabula de Cragaleo, cum in promptu esset comparatio certaminis inter Octavianum et Antonium cum illa deorum lite (cf. Serv. ad Verg. Aen. III, 276). Quam mutationem etsi in Dryopum terra prope Thermopylas factam esse Nicander prodit, tamen cum ad Ambraciam urbem maxime pertineret, Actio Apollini tributam esse non mirum est. Itaque Ovidius fabulam ut satis notam in brevissimum spatium contraxit.

Omisi fabulas de rusticis Lyciis (Ov. VI, 317—381; Ant. XXXV; Schneider p. 66) et de Phaethonte (Ov. I, 747—II, 400; Schneider p. 68), quia quomodo in singulis a Nicandro enarratae sint nescitur; fabulam de Iphigenia (Ov. XII, 1—38; Nic. δ'; Ant. XXVII), quia de hac virgine Ovidius vulgatissima tantum narrat.

Summa huius disputationis haec fere est. Plurimae discrepantiae, quae inter Ovidii et Nicandri narrationes intercedunt, tales sunt, ut ex Ovidii arte ingenioque eas ortas esse pateat. Paucas autem Nicandri narrationes minus venustas aut aptas poeta Latinus aliena inserendo sibi accommodavit. Haec autem unde ei praesto fuerint in plurimis fabulis in aperto est. Meleagri et Adonidis fabulae admodum erant notae; Byblidis et Dryopes fabulas carmine aliquo, Orionis filiarum fortasse pictura, Cragalei fama ei praeterea notas fuisse vidimus. Restant fabulae Pelei, Cerambi, fortasse Batti. Nonne multo veri similius est ipsius Nicandri carmen hoc modo in usum suum convertisse Ovidium quam epitomen pedestri oratione scriptam? Iam vero quae in Byblidis fabula narrationi aliunde sumptae ex Nicandro inseruit, eiusmodi sunt, ut ex carmine sumpta esse videantur. Firmatur denique sententia cum perspicimus quantus sit in singulis consensus inter Ovidium et Nicandrum in narrationibus de Ascalabo et de Iphide. Iam cum Antoninum partem tantum exiguam Nicandri narrationum excerpisse pateat, multae aliae praeterea fabulae procul dubio ab Ovidio ex eodem poeta sumptae sunt.

Nam ex iis quas ille attulit, tres tantum Ovidius neglexit, fabulas de Aspalide (Nic. β'; Ant. XIII), de Lamia (Nic. δ'; Ant. VIII), de Hyla (Nic. δ'; Ant. XXVI). Sic fabulam Arachnes (VI, 1—145) cuius virginis patria eadem fuit atque Nicandri, ab hoc poeta narratam esse veri haud dissimile est. Iam in fabula de Herse a Mercurio amata (II, 708—832) Aglaurus eodem modo atque Battus in fabula praecedente cum lucri cupiditate mota in deum insolens fuerit, in saxum mutatur, neque tamen haec similitudo ab Ovidio ad fabulas coniungendas in usum vocata est. Itaque fortasse coniunctionem hac ratione effectam apud auctorem sum Nicandrum reperit, sed cum simplicior ei se offerret transitus, eam sprevit. Eadem ratiocinatione uti licet in fabula Echinadum (VIII, 574—589) narrationem de Meleagro admodum similem excipiente. Praeterea ea traditur a Luciano (de salt. 53).

Notissimus Metamorphoseon scriptor praeter Nicandrum Parthenius erat. Quem cum paulo ante Ovidii aetatem Romae vixisset et summis poetis Romanis ut Vergilio amicissimus fuisset, Ovidio notum fuisse ineptum esset negare. Eum in Metamorphosibus de Scylla egisse patet ex Eustathio (ad Dionys. Perieg. 420). Itaque hanc fabulam accuratius percenseamus, cuius varias apud singulos scriptores formas accurate descripsit Rohdius (p. 93, A. 3).

Fabula de Scylla ad navem alligata et per mare tracta non convenit nec cum nuptiis primo pactis nec cum mutatione in monstrum illud marinum, optime convenit cum narratione eam a Minoe cum primum eum adiisset spretam esse, et cum transformatione in cirim avem. Quo efficitur duas huius fabulae formas exstitisse praecipuas. In altera Minos primo connubium cum Scylla paciscitur, deinde ea relicta naves solvit, Scylla maerore et furore acta in mare se deiicit et monstrum saevum fit. Altera narrat Minoem cum primum de proditione certior factus esset Scyllam ad puppim vinctam per mare traxisse, illam autem deorum miseratione Ciris avis forma accepta effugisse. Haec forma sine dubio antiquior est. Apud Apollodorum (III, 15, 8) qui in ceteris eam sequitur, nondum mutatur Scylla, sed fluctibus obruta moritur. Transformatio deinde per Alexandrinos poetas addita est, neque eam ante Parthenium remotiores potissimum fabulas tractantem puto fuisse notiorem. Altera forma a poeta, et eo haud

ignobili, ut ex Ciri carmine (v. 53) patet egregioque sensu poetico praedito, qui Scyllas ambas confusas in usum suum convertit, ficta atque celebrata est, fortasse in tragoedia aliqua, qualem Ovidio notam fuisse docemur Tristium libri II versu 393. Praeterea haec forma ab eo tangitur Art. I, 331; Rem. 735; Am. III, 12, 21; Fast. IV, 500; Pont. III, 1, 119, a Propertio V, 4, 39, a Vergilio Ecl. VI, 74.

Parthenius omnino antiquiorem formam secutus esse videtur. Atque etiam Ciris auctor cum multas maximeque varias huius fabulae formas nosset, in universum antiquiorem secutus est, non tamen neglecta recentiore quam tetigit 54 sq., ut doctrinam ostentaret, et 414, ut querelarum gravitatem augeret. Potuit hoc, cum ipsum factum brevissime tantum attigisset.

Ovidius (VIII, 1—151) in universum eandem formam praebet. Sed ex altera ea adsumpsit, quae de Scylla deserta et sua sponte in mare desiliente profert. Nam sicut Ciris auctori querelae graves, sic Ovidio animi perturbationes huc et illuc mentem ferentes et ad artem rhetoricam exercendam aptissimae placebant. A Ciri poemate igitur cum in duabus rebus gravissimis tum in totius narrationis colore adeo distat, ut eo usus esse non videatur, id quod ne per se quidem veri simile est. Sed tamen nonnullis locis similitudo quaedam apparet. Cum autem mutationem in cirim avem a Parthenio primo poetice ornatam esse veri simile sit, uterque si quid video e Parthenio hausit. Conveniunt Ovidii versus 17—18 cum Ciris 106—108, Ov. 125—130 cum Cir. 418—427. Parthenii verbis praeterea respondent Ovidii versūs 100 et 117. Verum neuter arte eius vestigia secutus est, praecipue Ovidius nulla in parte Metamorphoseon adeo ingenio suo indulget, quam in hac narratione.

Callimachi fragmentum 184:

„*Σκύλλα γυνὴ κατάκασσα καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα*“

ex narratione aliqua servatum esse videtur simili illius, quam Ciris (77—88) ex Palaephato et Heraclitus (de incred. 2) habent Euemeri rationem sequentes. In piscem Scyllam mutatam esse a solo traditur Hygino (fab. 198).

De Byblidis fabula quid statuendum sit supra dixi (p. 76). Addo hoc loco narrationem de suspendio Byblidis Parthenium

non traditurum fuisse Gallo carmine Latino celebrandam, si praeterea Romanis iam notior fuisset.

Agnovimus ab Ovidio adhibitos poetas Graecos tragicos et elegiacos multos, ex iis qui de transformationibus scripserunt, Nicandrum et Parthenium. Omitto Theodorum, de quo quamquam in disputatione de Peleo et Ceyce et de Adonide fortasse cogitandum esse docui, certiora tamen indicia desunt. Praeterea fabulae Cyclicorum, Argonauticorum, Gigantomachiae, Heracleidis, Theseidis non solum notissimae tum erant, ut ex crebra mentione in carminibus amatoriis apparet (cf. Merkel, Prolusio ad Ibin, p. 375 sq. sq.; Luckenbach, Neue Jahrb. Suppl. B. 1880, p. 491 sp. sq.), sed etiam a Romanis poetis iis temporibus praecipue celebratae erant, velut Varro Atacinus Argonautica, Macer iunior et Camerinus bellum Troianum, Carus Heracleidem, Albinovanus Theseidem scripserunt, Ovidius ipse Gigantomachiam componere voluit. Denique plurimae extremorum librorum fabulae ex Romanis scriptoribus sumptae sunt.

Iam multas fabulas reliquas esse non puto. Eae quae Minyadum narrationibus insertae sunt, ex Asiaticarum fabularum sylloga fluxisse videntur. Ex iis quas breviter tantum perstringit, nonnullas fortasse ex Aemilii Macri ornithogonia quam saepe sibi lectam esse Trist. IV, 10, 13 dicit novit, ut illas quas cum Boeo eum communes habere ex Antonini Liberalis epitomis scimus, de Oenoe (Ov. VI, 90; Ant. XVI) et de Eumelo (Ov. VII, 390; Ant. XVIII). Atque etiam fabulae de Antigone (VI, 93), de Combe (VII, 382), de rege Calaureae (VII, 384), de Periphante (VII, 400), de Munycho (XIII, 717) huc referri possunt, nec minus Inus famularum (IV, 560), Cycni (XII, 144), Caenei (XII, 517) mutationes praeterea ignotae notissimis additae narrationibus, denique ea Cerambi fabulae forma quae ab Ovidio traditur. Praeterea mutationes in lapides eminent, Echus (III, 396; cf. p. 27), Inus comitum (IV, 542), Curaliorum (IV, 740), Cinyrae filiarum (VI, 98), anguis Lesbii (VII, 357; XI, 56), Scironis ossium (VII, 444), Cerberum videntis (X, 65), Oleni et Lethaeae (X, 68), Propoetidum (X, 238), quae ex carmine aliquo de lapidibus fortasse sumptae sunt. Quae quamquam coniectura nituntur,

id patere puto, syllogas vel epitomas Ovidium non adhibuisse. Praeterea nonnulla attulisse mihi videor ad viam atque rationem, qua usus sit Ovidius in carminibus cum aliorum poetarum Graecorum tum Nicandri in usum suum convertendis, recte cognoscendam.

Denique doleo, quod mihi non contigit, ut Lingenbergii dissertationem, cui inscriptum est: „Quaestiones Nicandreae. Halis 1866“ inspicerem.

VITA.

Paulus Friedericus Guilelmus Gustavus Bernardus Plaehn natus sum Latzigiis in vico Borussiae Occidentalis a. d. V. Cal. Jul. anni h. s. LIX patre Bernardo verbi divini ministro matre Albertina e gente Lueck, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Anno h. s. LXVIII cum parentibus Tarnowkias in vicum eiusdem provinciae prope Jastrovias urbem situm migravi. Litterarum primordiis a patre imbutus anno LXXI in Gymnasii Regii Schneidemuehliensis classem quintam receptus sum. Auctumno autem anni LXXV Gymnasium Berolinense Friederico-Guilelmianum adii quod Kernii auspiciis floret. Inde duobus annis post maturitatis testimonio instructus Universitatem Carolo-Eberhardinam petii, ut antiquarum litterarum et linguae vernaculae studiis me darem, scholisque interfui per bis sex menses Schwabii, Herzogii, Flachii, Kelleri, Koestlini, Strauchii, Geldneri, Sigwartii, Classii, Kugleri. Deinde Gryphiswaldiae per annum stipendia merui, simulque disserentes audivi Kiesslingium, Luetjohannum, Reifferscheidium. Tum Berolinum me contuli ibique per quater sex menses studiis vacavi, atque audivi Kirchhoffium, Huebnerum, Vahlenum, Robertum, Muellenhoffium, Schererum, Zellerum, Paulsenum, Wattenbachium. Exercitationibus interesse mihi licuit philologicis Vahleni, Huebneri, germanisticis Reifferscheidii, Muellenhoffii, Schereri. Quibus omnibus gratias ago quam maximas, imprimis Huebnero viro humanssimio, qui summa benignitate studia mea Ovidiana adiuvit.





